

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

RELATIO

**COMPLECTENS SYNTHESIM ANIMADVERSIONUM
AB EM.MIS ATQUE EXC.MIS PATRIBUS COMMISSIONIS
AD NOVISSIMUM SCHEMA CODICIS IURIS CANONICI
EXHIBITARUM, CUM RESPONSIONIBUS A SECRETARIA
ET CONSULTORIBUS DATIS**

(Patribus Commissionis stricte reservata)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXXI

PRAENOTANDA

Postquam totum recognoscendi Codicis Iuris Canonici opus, de mandato Summorum Pontificum Ioannis XXIII et Pauli VI atque prae oculis habitis Principiis directivis in primo Coetu generali Synodi Episcoporum approbatis, necnon quibusdam deliberationibus Cardinalium Commissionis nostrae, absolutum fuit ex parte Consultorum eiusdem Commissionis, materia praeparata transmissa est, consultationis causa, omnibus Episcopis, Conferentiis Episcoporum, Unioni Superiorum Generalium, Universitatibus studiorum, necnon omnibus Curiae Romanae Dicasteriis. Quae amplissima consultatio ingentem animadversionum consiliorumque cumulum praebuit, ideo Consultores impulit ad iterum examinanda, emendanda et complenda praeparata canonum schemata. Quo labore expleto et in unum volumen redactis emendatis canonum schematibus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II statuit ut hoc recens Codicis Iuris Canonici Schema transmitteretur Patribus Cardinalibus Commissionis examinandum, quibus, suggerente Cardinali Commissionis Praeside, alios Patres, Episcopos et Cardinales addere voluit, adeo ut in ultimo examine universus Episcopatus magis repraesentaretur.

Venerabiles Patres, ad operam praestandam in hoc tam gravi labore vocati, hi sunt: *

CARDINALES

Pericles Felici, Praeses Pontificiae Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo

Antonius Samorè, Bibliothecarius et Archivista S. R. Ecclesiae

Paulus Bertoli, Camerlengus S. R. Ecclesiae

Sebastianus Baggio, Praefectus S. Congregationis pro Episcopis

Stephanus I Sidarouss, Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Iosephus Siri, Archiepiscopus Ianuensis

* Qui asterisco notantur a Summo Pontifice Cardinalibus Commissionis Sodalibus additi sunt.

- Stephanus Wyszyński,¹ Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis
 Paulus Aemilius Léger, Archiepiscopus olim Marianopolitanus
 Franciscus König, Archiepiscopus Vindobonensis
 Bernardus J. Alfrink, Archiepiscopus olim Ultraiectensis
 Laureanus Rugambwa, Archiepiscopus Daressalaamensis
 Ioannes Landázuri Ricketts, Archiepiscopus Limanus
 Radulfus Silva Henriquez, Archiepiscopus S. Iacobi in Chile
 Leo I. Suenens, Archiepiscopus olim Mechliniensis-Bruxellensis
 Thomas B. Cooray, Archiepiscopus olim Columbensis in Ceylon
 Mauritius Roy, Archiepiscopus Quebecensis
 Leo S. Duval, Archiepiscopus Algeriensis
 Ermenegildus Florit, Archiepiscopus olim Florentinus
 Franciscus Šeper, Praefectus S. Congr. pro Doctrina Fidei
 * Paulus Zoungrana, Archiepiscopus Uagaduguensis
 Agnellus Rossi, Praefectus S. Congr. pro Gentium Evangelizatione
 Ioannes Colombo, Archiepiscopus olim Mediolanensis
 Gabriel Maria Garrone, olim Praefectus S. Congr. pro Institutione Catholica
 Ioannes I. Krol, Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum
 * Ioannes P. Cody, Archiepiscopus Chicagiensis
 Iulius Rosales, Archiepiscopus Caebuanus
 Silvius Oddi, Praefectus S. Congr. pro Clericis
 Iosephus Parecatil, Archiepiscopus Ernakulamensis
 Franciscus Marty, Archiepiscopus olim Parisiensis
 Vincentius Enrique y Tarancón, Archiepiscopus Matritensis
 * Paulus Muñoz Vega, Archiepiscopus Quitensis
 * Eugenius de Araujo Sales, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii
 * Iosephus Höffner, Archiepiscopus Coloniensis
 Ioannes Willebrands, Archiepiscopus Ultraiectensis
 * Antonius Ribeiro, Patriarcha Lisbonensis
 Iacobus R. Knox, Praefectus S. Congr. pro Sacramentis et Cultu Divino
 * Annibal Muñoz Duque, Archiepiscopus Bogotensis

¹ Em. mus Vir, missis iam suis animadversionibus, d. 28 maii 1981 piissime in Domino quievit.

- * Radulfus F. Primatesta, Archiepiscopus Cordubensis
- * Mauritius Otunga, Archiepiscopus Nairobiensis
- * Iacobus D. Freeman, Archiepiscopus Sydneyensis
- Narcisus Jubany Arnau, Archiepiscopus Barcinonensis
- * Hyacinthus Thiandoum, Archiepiscopus Dakarensis
- * Georgius B. Hume, Archiepiscopus Vestmonasteriensis
- * Victorius Razafimahatratra, Archiepiscopus Tananarivensis
- * Iosephus Ratzinger, Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis
- Augustinus Casaroli, Secretarius Status
- * Ernestus Corripio Ahumada, Archiepiscopus Mexicanus
- * Iosephus Satowaki, Archiepiscopus Nagasakiensis
- Anastasius A. Ballestrero, Archiepiscopus Taurinensis
- * Thomas O'Fiaich, Archiepiscopus Armachanus
- * Geraldus E. Carter, Archiepiscopus Torontinus
- Petrus P. Philippe, olim Praefectus S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus
- Petrus Palazzini, Praefectus S. Congr. pro Causis Sanctorum
- Conradus Bafle, olim Praefectus S. Congr. pro Causis Sanctorum
- Iosephus Schröffer
- Eduardus Pironio, Praefectus S. Congr. pro Religiosis et Institutis Sae-
cularibus
- Iosephus Caprio, Praeses Praefecturae rerum oeconomicarum Sanctae
Sedis

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

- * Petrus Meurice Estiu, Archiepiscopus S. Iacobi in Cuba
- * Iosephus Freire Falcão, Archiepiscopus Piahyensis
- * Ioseph L. Bernardin, Archiepiscopus Cincinnatensis
- * Iosephus Bánk, Archiepiscopus-Episcopus Vacensis
- * Robertus Coffy, Archiepiscopus Albiensis
- * Aloisius E. Henríquez Jiménez, Archiepiscopus Valentinus in Vene-
tiola
- * Paulus Tzadua, Archiepiscopus Neanthopolitanus
- * Simon Pimenta, Archiepiscopus Bombayensis
- * Romanus Arrieta Villalobos, Archiepiscopus S. Iosephi in Costarica
- * Godefridus Danneels, Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis
- * Iosephus Glemp, Archiepiscopus Varsaviensis-Gnesnensis
- * Paulus Verschuren, Episcopus Helsinkiensis

- * Thomas Stewart, Episcopus Chuncheonensis
- * Carmelus Morelos y Flores, Episcopus Butuanensis
- * Gabriel G. Ganaka, Episcopus Iosensis
- * M'Sanda Tsinda Hata, Episcopus Kengensis
- * Ioseph Ti-Kang, Episcopus Kiayensis
- * Ioseph O'Connell, Episcopus Auxiliaris Melburnensis.

Omnibus his Patribus schema novi Codicis missum est, iique rogati sunt ut quas forte haberent observationes faciendas in schema eas opportune transmittere vellent Commissioni, ut debite perpendi possent ante Congregationem Plenariam a die 20 mensis octobris 1981 habendam.

Quadraginta et quinque Patres suas observationes miserunt quae, ordinatim dispositae, accurato examini, diligenti studio et collegiali discussioni submissae sunt. Quod studium, de mandato Cardinalis Prae-
sidis, factum est a Secretaria Commissionis, una cum Consultoribus peculiari peritia praeditis in singulis materiis de quibus agebatur. Synthesis horum laborum hoc in volumine continetur atque iudicio Patrum proponitur.

Nulla est animadversio vel observatio quae maxima cura perpensa non sit, cuique, prout opus erat, responsum datum non fuerit. In examinandis animadversionibus dandisque responsis haec criteria prae oculis habita sunt:

1. Debitum obsequium exhiberi visum est erga praecedentem consultationem factam ad universos Episcopos, Episcoporum Conferentias, ad Unionem Superiorum Generalium Universitates Ecclesiasticas necnon ad Dicasteria Sanctae Sedis aliaque Organa. Post amplissimam hanc consultationem et subsequens studium atque emendationem schematum multis in materiis, patet novas propositiones circa easdem materias vel eosdem canones solummodo admitti potuisse si revera novis iisque solidis rationibus inniterentur.

2. Cohaerentia observata fuit uniuscuiusque propositae animadversionis sive cum doctrina et praescriptis Concilii Vaticani II, sive cum omnibus documentis Romanorum Pontificum ad ipsum Concilium applicandum, sive denique, ubi haberentur, cum responsionibus Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, tum denique cum aliis normis a Dicasteriis Sanctae Sedis latis per Decreta, Instructiones, Directoria, etc.

3. Admittere visum non est observationes quae non cohaerent cum normis et criteriis concretis Commissioni traditis a Summo Pontifice vel, in materia suae specificae competentiae, a S. Congregatione pro Doctrina Fidei.

4. Ratio habita est utrum animadversio cum praescriptis aliorum canonum necnon cum integro systemate iuridico novi Codicis congrueret, ad contradictiones vel inutiles repetitiones vitandas, necnon ad necessarium aequilibrium in tota rei dispositione servandum.

5. Quoniam Codex est instrumentum legislativum, idem esse debet clarus et succintus. Quapropter, ratio legis non est in ipsis canonibus tradita, nisi id revera opportunum vel necessarium visum fuerit. Eadem de causa, in ipsa lege introducendae non erant additiones quae suggeri viderentur timore erratae interpretationis alicuius normae (nisi talis errata interpretatio ex recto criterio iuridico proveniret), vel etiam timore proveniente ex quibusdam hodiernis adiunctis, quae tamen suam causam habent non in ipsa lege sed in eiusdem legis ignorantia aut despectione vel in defectu applicationis legum vigentium. His enim rebus consulitur tradendo rectam doctrinam et sapienti gubernio.

Nonnulli, maiorem claritatem desiderantes, instant ut eadem praescripta, praesertim ad abusus forte obventuros vitandos, pluribus in locis inserantur. Quod admitti nequit, nam inutilis repetitio potius nocet quam favet claritati et ideo obligatorietati normae iuridicae. Technica legislativa postulat ut, semel statuta norma generalis, omnibus casibus ea applicetur, nisi exceptio statuatur.

Ex praecedentibus schematibus reducta est competentia Conferentiarum Episcoporum ad decreta generalia edenda. Id factum est iuxta multorum Episcoporum petitionem in consultatione, et quidem duplici de causa: imprimis, ut debite servetur potestas quae iure divino unicuique Episcopo in propria dioecesi competit; deinde vero ut Conferentiae Episcoporum illo polleant genuino caractere quem pro ipsis voluit Concilium Vaticanum II, non organi praevalenter legislativi et « centralizationis » gubernii, sed ut organa quo Episcopi fraterna unione procedant communicatis prudentiae et experientiae luminibus collatisque consiliis et experienciis.

Praeter haec criteria generalia quoad laborem peragendum, id etiam prae oculis habitum est, ut in casu quo procrastinaretur promulgatio

Legis Ecclesiae Fundamentalibus, in Codice iam inducerentur — sicut etiam quibusdam in observationibus receptis innuebatur — aliqui canones iam a Lege Ecclesiae Fundamentalibus praevisi, speciatim qui exstant in Capite I, Tituli I: « De christifidelibus omnibus » et in Articulo I, Capituli II: « De Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum ». Agitur enim de normis quae contineri debent in lege generali Ecclesiae, quaeque proinde in C.I.C. deesse nequeunt si Lex Fundamentalibus non habeatur.

Canones Legis Ecclesiae Fundamentalibus in Codicem inserendi in Appendice prostant.

Congruum tandem atque debitum videtur Patres Congregationis Plenariae certos facere, crebriores in dies, praesertim postremo hoc anno, petitiones pervenisse ad nostram Commissionem, ut quantocius Ecclesiae praesto sit novus Codex Iuris Canonici. Rationes quae, sive in scriptis missae sive oretenus prolatae, permultis his in votis exponuntur et sic breviter perstringi valent.

Practica *anomia* seu carentia legis per tantum temporis spatium protracta valde periculosa est: nam: *a*) sine lege aut ea ignorata, Pastores securis orbantur normis quae rectum ministerii pastoralis exercitium dirigant; *b*) unusquisque iura et officia sibi propria ignorat et facile arbitrium in legem mutatur; *c*) abusus in ecclesiasticam disciplinam, qui postea difficile extirpantur, irrepunt; *d*) rectae conscientiae multis anxietatibus anguntur et in contemptum legis veluti impelluntur; *e*) ipsa vita, institutiones, activitas et incepta apostolica Ecclesiae altero claudicant pede: nam — ut recte dixit Paulus VI f.m. — « vita ... ecclesialis sine ordinatione iuridica nequit existere » (*Communicationes* 9 [1977] 81).

Cunctis iis postulationibus responsionem dedit Commissio nostra nihil intentatum relinquens, ut ardens illud ac universale desiderium quamprimum ad effectum deducatur, atque Ecclesia novum Codicem cito habeat. Faxit Deus, auxiliatrice Maria, Ecclesiae Matre, ut opus recognitionis Codicis, per duodeviginti annos ingentis laboris protractum, absoluto hoc Plenario Congressu Commissionis ad optatum exitum feliciter perducatur.

Romae, die 16 iulii 1981.

SCHEMA CODICIS IURIS CANONICI

ANIMADVERSIONES GENERALES

1. In genere *placet* novum Schema Codicis I. C. Plerique id expresse affirmant, etiam laudantes opus recognitionis perfectum (ita Em.mi Rossi, Caprio, Colombo, Rugambwa, Rosales, de Araujo Sales, Knox, Palazzini, Schröffer, Jubany, Ratzinger multique alii).

Rationes quae allegantur sunt praecipue convenientia canonum cum doctrina Concilii Vaticani II, systematica iuridica melior, rigor et claritas in redactione canonum, formulatio magis iuridica, immo et stylus homogeneus.

Laudant etiam aliqui maiorem simplificationem praescriptorum, item suppressionem aliquarum affirmationum indolis theologico-spiritualis, quae aderant in schematibus anterioribus, sed minus congruunt cum Codice iuris canonici (Card. Colombo). Attamen alicui videtur esse nimia certis in partibus reductio ad simpliciora; haec maior nimis simplicitas seu reductio adest in Libris de Processibus et de Poenis (Card. Colombo).

2. Generalis animadversio quae a plerisque proponitur respicit defectum textus *Legis Ecclesiae Fundamentalis*. Non raro remittitur ad canones LEF in ipso textu Codicis. Praeterea, si deficiunt canones quae habentur in LEF, deficiunt quaedam praescripta, uti sunt ea quae respiciunt Romanum Pontificem, Collegium Episcoporum etc., quorum defectus impossibile reddunt iudicium de ipso Codice vel saltem difficile reddunt tale iudicium. Praeterea notatur *Legem Ecclesiae Fundamentalem* praecedere debere Codicem, cum LEF contineat praescripta fundamentalia superioris valoris. Requiritur itaque ut LEF, si servetur, promulgetur ante ipsum Codicem aut saltem una cum Codice (ita Cardd. Ratzinger, Hume, Jubany, O'Fiaich, Colombo, Palazzini et alii).

R. *Si Lex Ecclesiae Fundamentalis non promulgabitur, ut probabiliter nunc accidet, praescripta eius quae necessaria videntur ad Codicem*

complendum suis in locis inserentur. In appendice prostant huiusmodi praescripta, stylo Codicis aptata.

3. *Titulus seu Inscriptio Codicis, secundum nonnullos, requiritur ut sit: « Codex Iuris Canonici Ecclesiae Latinae » aut « Codex Iuris Canonici pro Ecclesia Latina »* (primum proponit Card. Parecatil, alterum Card. Florit). Ratio allegata est quia hoc titulo magis completo distinguerentur Codex Ecclesiae Latinae et Codex Ecclesiarum Orientalium, qui paratur. Praeterea hoc titulo modo magis completo significaretur paritas dignitatis inter Ecclesiam latinam et Ecclesias orientales, quae congruit declarationibus Concilii Vaticani II (Card. Parecatil).

R. Inscriptio tituli, quae habetur, convenit cum traditione et servanda est. Ex eadem nemo potest concludere contra paritatem in dignitate Ecclesiae latinae et Ecclesiarum orientalium.

4. In Codice I: C. requiritur etiam titulus « De munere Ecclesiae regendi ». Suggestitur ut talis titulus autonomus habeatur et constet canonibus 277-502, qui in schemate proposito habentur in Parte II Libri II Codicis (Card. Palazzini).

R. De munere regendi Ecclesiae agitur in Libro II, Parte II « De Ecclesiae constitutione hierarchica » et videntur haec sufficere ut revera de munere regendi agatur (cfr. resp. ad 5^{am} animad. gen. Lib. II).

5. Codex servat nimis *structuram clericalem*, ut antea, dum in Concilio conatus factus est ut locus proprius definiretur Populi Dei. Ita communitas christiana princeps remanet paroecia, sub auctoritate parochi. Requiritur theologia subiacens Concilii. Locus proprius et munera christifidelium determinari debent, necnon locus proprius etiam mulierum in Ecclesia (Card. Marty).

R. Momentum paroeciae affirmatur in Concilio Vaticano II (Decr. Christus Dominus, n. 30). Non videtur doctrina quae in Codice habetur differre a doctrina conciliari (cfr. praeterea resp. ad cann. 269-276).

6. Si promulgatur LEF, saepius in Codice praescripta huius legis in memoriam revocanda sunt, quia sunt praescripta praecipua (Cardd. Florit et König).

7. Requiretetur elenchus verborum praecipuorum, in quo eadem verba definirentur, ut omnis vitetur ambiguitas et ut habeatur Index ana-

lyticus (Card. Florit). Praeterea necesse est ut constanter eadem sit terminologia (Cardd. Jubany, Palazzini). In specie videndum est utrum verba « Ordinarius loci, Ordinarius et Episcopus dioecesanus » in omnibus canonibus eundem sensum habeant necne (Card. Florit).

R. *Terminologia accurate examinabitur sed nullus habebitur Titulus « De Verborum significatione ».*

8. Nulla habetur in hoc Codice norma de *Collegio Episcoporum*, nec de eiusdem exercitio in *Concilio oecumenico* (*Lumen gentium*, n. 22; C.I.C. cann. 222-229). Ratio est quia primo loco promulgabitur LEF, sed proprium est Codici ut legibus magis particularibus determinet tale Institutum (Cardd. Jubany, Araujo Sales).

R. *Quae de iis habentur praescripta in schemate LEF omnino sunt determinata et sufficiunt, et probabiliter in Codicem inserenda.*

9. Codex, uti proponitur hoc schemate, carere videtur ordinatione primaria ad cultum divinum, utique opus primarium Ecclesiae (Card. Cooray).

R. *De ordinatione ad cultum divinum sufficiunt quae habentur, in specie ubi agitur de Sacramentis.*

10. In schemate suppressus est Titulus « De christifidelium officiis et iuribus ». Quae igitur in LEF suppleri debent (Cardd. König, Suenens).

R. *Titulus iterum inserendus est in C.I.C. (cfr. Appendicem).*

11. Tendentia est in schemate huius C.I.C. ad concedendam nimiam potestatem Conferentiae Episcoporum (Cardd. Ratzinger, Rosales, Palazzini). Notatur etiam Concilium magis vindicare locum proprium Ecclesiae particularis. Codicis schema nimis ligat libertatem pastorem Episcopi dioecesani, magis quidem quam Codex a. 1917: a) reservando quaedam Sanctae Sedi; b) imponendo subiectionem Conferentiae Episcoporum; c) ligandi decisionem Episcopi aliquibus corporibus uti sunt Collegium consultorum, Consilium presbyterale etc. Haec sunt in detrimentum efficaciae pastoralis.

R. *Hodie, secundum ultimum schema, minor est quam antea competentia Conferentiae Episcoporum et maior potestas Episcopi dioecesani.*

Reservationes ad minimum reductae sunt et ad participationem aliorum organorum quod attinet reproducitur ius postconciliare vicens.

12. Nimis in schemate affirmatur potestas Episcoporum auxilium. Requiritur ut dioecesis regatur ab uno Episcopo, non vero a quodam collegio (ita v. g. in can. 456, § 1) (Card. Ratzinger).

R. Manifestum est ex cann. 370 et sequentibus unitatem regiminis in dioecesi servari.

13. Saepe remittitur ad *ius particulare*, cuius est magis definire praescripta; sed non definitur quodnam sit hoc ius particulare (Card. König).

R. In commentariis determinari potest et debet quodnam sit hoc ius particulare. In Codice non debet fieri. Applicatur quodcumque ius particulare legitime vicens.

14. Requiritur ut aliquae normae quae habentur in Codice a. 1917 etiam in hoc novo Codice inscribantur. Tales sunt normae aliquae quae respiciunt sacramenta. Cfr. can. 1169. Necessariae sunt aliquae repetitiones, ne videantur esse omissiones: ita ommissio verbi « mere » in locutione « panis mere triticeus » potest errorem gignere (Card. Knox).

R. Adest illud verbum in can. 876, § 2, dum desideratur in Introductione generali Missalis Romani.

15. Nihil in schemate habetur de creatione alicuius Consilii pastoralis ambitus archipresbyteralis, dum Litterae circulares S. Congr. pro Clero possibilitatem hanc praevident; idem valet pro Consiliis pastoralibus interdioecesanis (Card. Jubany).

R. In Concilio huiusmodi Consiliorum constitutio non fuit requisita. Instructio S. Congr. multis in locis inopportuna probatur (cfr. praeterea resp. ad cam. 431-434; 492 et 330).

16. Necesse est ut quam primum novus Codex promulgetur. Etenim Codex a. 1917 de facto saepius non applicatur et consideratur ut suppressus, dum novus Codex non iam vim iuridicam habet. Inest verum periculum pro disciplina et vita Ecclesiae (Card. Ratzinger, Colombo, Rosales).

R. Verum est: instent apud Summum Pontificem.

17. Codex sola praescripta vere iuridica continere debet. Codicis schema nimias continet commendationes et consilia; observationes pastorales ad Directorium pertinent, non ad Codicem (Card. Jubany).

R. Paucae in schemate habentur commendationes. Verum est quod per se Codex sola praescripta iuridica continere debet. Attamen, pro certis materiis requiri videntur potius commendationes. In schemate hoc proposito non paucae ablatae sunt commendationes, sed quaedam suadentur.

18. Requiritur etiam ut habeantur, uti in societatibus civilibus, normae quae transitum ad novum ius respiciunt (Uebergangsnormen), quia in novo Codice habentur Instituta hucusque incognita, quae erigi debent, et ad quorum erectionem aliquod tempus requiritur: ita est v. g. Collegium consultorum (Card. König).

R. Certo debent quaedam Instituta creari. Sed sufficiens erit tempus vacationis pro novo Codice.

19. Organum requiritur permanens non tantum ad interpretationem authenticam normarum Codicis novi, sed cuius etiam est inducere auctoritates particulares ad paranda praescripta iuris particularis, et eis in iisdem parandis auxilio esse (Card. Florit).

R. Legislatoris est creare tale organum.

20. In editione novi Codicis haberi debent notae de fontibus e quibus hauriuntur praescripta (Card. Rosales).

R. Non requiruntur tales notae in editione quae est editio princeps.

21. Etsi non omnes nostras expectationes (scil. Episcoporum Conferentiae Canadensis) adimpletae sunt, significativum tamen implementum in revisione schematum praecedentium agnoscere debemus, praesertim in canonibus De Matrimonio et De Institutis vitae consecratae.

Animadversiones a nostra Conferentia in consultatione prolatae accurate perpensae et plures eorum, etiam ad litteram, admissae sunt.

Ulterior vero consultatio adhuc desideratur, sed si Codex, uti nunc iacet, promulgaretur, sine dubio multum ad promovendam vitam ecclesiam inserviret.

Magni tamen est momenti ut lex recipiatur et adhuc adsunt quaedam praescriptiones, etsi parvi ponderis, quae receptionem Codicis praepe-

dire possunt, uti v. gr. circa condicionem mulieris in Ecclesia et circa processus nullitatis matrimonii.

Redistributio materiae et nova ordinatio systematica in Libro II desideratur (Card. Carter).

22. Affirmationes indolis theologiae quae canonibus aliquando praecedunt sobriae et exactae sunt et nedum opportuna sed necessariae videntur.

Attenta natura sui generis iuris canonici opportunum etiam duco ut habeantur quaedam adhortationes.

Principium subsidiarietatis mihi videtur aequam applicationem invenisse. Etsi maior decentralizatio adhuc possibile sit, non credo eam hodie opportunam esse (Exc. Falcão).

23. Praesens Schema nimis Codicem vigentem imitatur (in typographica veste, et internis divisionibus), quod ipsius Codicis receptioni nocet.

Codex desideratur magis generalis, generaliora tantum principia praebens, cetera Conferentiis Episcoporum relinquendo. Codex praeterea nimis est occidentalis et europeus, praesertim in iure matrimoniali, in quo plura, v. gr. relate ad formam, ad matrimonia mixta, ad duplicem ceremoniam, etc. relinqui debent Conferentiis Episcoporum (Exc. Pimenta).

LIBER I
DE NORMIS GENERALIBUS

INSCRIPTIO LIBRI I

In C.I.C. a. 1917, inscriptio huius Libri erat « Normae generales ». Nunc autem non agitur de normis generalibus tantum (cfr. tit. I, II, III), sed et de aliis normis quae regunt Ecclesiae vitam, uti sunt normae de personis physicis et de personis iuridicis aliisque (tit. IV, V, VII, IX). Ideo videtur inscriptionem « De normis » sufficere; verbum « generalibus » tollit extensionem ad normas quae non sunt universales. Itaque proponitur ut inscriptio sit « *De Ecclesiae normis* » (Card. Philippe).

R. *Admitti non potest. Omnes normae in Codice, non tantum quae in Libro I habentur, sunt Ecclesiae normae; ceterumque in Libro I agitur de quaestionibus vere generalibus.*

ORDO DICENDORUM

1. Melius videtur ut denuo Titulus « De personis physicis et iuridicis » in genere, ponatur in Libro II. Ratio est quia integer Liber II agit de tribus speciebus personarum physicarum et iuridicarum in Ecclesia, scilicet de clericis, de religiosis et de laicis; e contra, introductio huius Tituli in Libro I, uti eius Titulus VI, disrumpit homogeneitatem huius Libri, qui totus agit de normis in Ecclesia existentibus (Card. Philippe).

R. *Servandus est ordo qui in schemate habetur. In Libro II, agitur de personis, uti membra Populi Dei, non de personis sub respectu mere iuridico* (cfr. resp. ad animad gen. Lib. II).

2. Titulus « De potestate regiminis » (cann. 126-141) item in Libro II est inserendus (Card. Philippe). Asseritum quidem in Praenotan-

dis, eum translatum esse ad Librum II, ob generalem eiusdem applicationem in universo Ecclesiae iure (p. 7). Sed affirmatur potestatem regiminis, quatenus ordine sacro innitur, solis clericis reservari, et initio can. 273, § 1, eadem thesis affirmatur. Obvius sensus canonis 126 est quod *per se* « potestas regiminis » ligatur potestati ordinis, et hoc confirmatur Constitutione *Lumen gentium*, n. 21.

Itaque, cum praedictus titulus « De potestate regiminis », non agat de personis, sed de potestate personarum, transferri debet ad Librum II, ad initium partis, in qua de Sacra Hierarchia quaestio est (Card. Philippe).

R. *Unus tantum rogat ut fiat haec translatio. Alii ergo sunt concordantes ut remaneat ordo uti in schemate est. Insuper schema non est habendum ut tractatus scholasticus, et in eo agitur de generali schematica iuris. Ergo remaneat ordo dicendorum uti est in schemate.*

3. Alius ordo dicendorum seu titulorum proponitur (Card. Freeman et Exc. O'Connell) et dicitur clarius et magis logicus.

Post canones praeliminares 1-6

Titulus I. *De personis physicis et iuridicis* (96-120)

Caput I. *De personarum physicarum conditione canonica*

Caput II. *De personis iuridicis*

Caput III. *De praecedentia*

Titulus II. *De actibus iuridicis* (121-125)

Titulus III. *De potestate regiminis*

Praeliminares (126-132)

Caput I. *De potestate legislativa*

Art. 1. *De legibus ecclesiasticis* (7-22)

Art. 2. *De decretis et praeceptis generalibus* (29-30)

Art. 3. *De consuetudine* (23-28)

Caput II. *De potestate executiva*

Praeliminares (133-141 + 35-47).

Art. 1. *De decretis generalibus executoriis* (31-33)

Art. 2. *De instructionibus* (34).

Art. 3. *De decretis et praeceptis singularibus* (48-58)

Art. 4. *De rescriptis* (59-75)

Art. 5. De privilegiis (76-84)

Art. 6. De dispensationibus (85-93)

Titulus IV. De officiis ecclesiasticis (142-193)

Titulus V. De statutis et ordinibus (94-95)

Titulus VI. De praescriptione (194-196)

Titulus VII. De temporis supputatione (197-200).

R. *Non placet: non potest agi de consuetudine sub titulo « De potestate legislativa ». Insuper servari debet continuitas cum antiquo Codice.*

Ad can. 1

Animadversio proponitur, vi cuius hic canon *supprimi potest*, quia norma quam continet per se patet et insuper apparet ex promulgatione Codicis Iuris Canonici Orientalis (Card. Palazzini).

R. *Requiritur ut efficacia, ambitus applicationis et vis Codicis determinentur. Ideo admitti non potest observatio.*

Ad can. 5

Ad § 1

1. Proponitur ut servetur pro hac § 1 textus Codicis a. 1917, quia eius formulatio felicior videtur (Card. Baffile).

R. *Admittenda non est observatio, quia sufficienter clarus est textus: gaudet eadem claritate ac textus C.I.C. a. 1917.*

2. Loco verborum « si iudicio Ordinarii », dicatur « si de iudicio Episcoporum Conferentiae », quia sunt consuetudines supradioecesanae, quae ita rectius iudicari possunt (Card. König).

R. *Non expedit. Esset inutilis restrictio potestatis Ordinarii loci. Adiuncta insuper possunt esse valde diversa in dioecesibus.*

Ad can. 6

Ad § 1

1. Supprimi potest n. 1, quia norma haec per se patet (Card. Palazzini).

R. *Admitti non potest propositio. Norma haec non patet per se. Si non haberetur, Codex novus derogaret tantum Codici anteriori, quatenus eidem est contrarius. Norma haec requiritur, sive in documento promulgationis, sive hoc loco in ipso novo Codice; sed claritatis causa melius est ut hic habeatur.*

2. Vox « universales », sicuti etiam in cann. 8 et 12, non placet (Card. Parecattil). Ratio est, quia hoc verbo tantum intelligi possunt leges quae ius commune constituunt omnium Ecclesiarum, cuiuscumque sint ritus.

R. *Admitti non potest observatio et servandus est usus vocabuli « universales ». Difficultates quae aderant in C.I.C. a. 1917 superantur. Intellegitur sensus vocis, attento etiam praescripto can. 1.*

3. Proponitur ut in § 1, n. 2, post verba « sive universales sive particulares » addantur verba « etiam si agatur de facultatibus ab Apostolica Sede concessis » maioris claritatis causa (Card. Bafile).

R. *Admitti non potest: textus sufficienter est clarus; insuper facultates non sunt leges, et reguntur per ipsam concessionem; praeterea habetur can. 4.*

4. Notatur quod ad § 1, n. 4, usu verborum « materiam » dubia oriri possunt et quod alia formula esset adhibenda (Card. Bafile).

R. *Sufficienter clara est expressio adhibita, et locutio est eadem quae invenitur in can. 22 C.I.C.*

5. § 1, n. 4 nimis videtur generalis et radicalior quam Codex a. 1917 qui abrogat praecedentem legislationem. Saltem relate ad decreta Conc. Vat. II alia desideratur § in quo similis norma ac in § 2 statuatur (Exc. Bernardin).

Desideratur adhuc § 3 in quo media parentur ad periodicam actualizationem (*aggiornamento, updating*) Codicis, per Institutum quoddam (internationaliter efformatum) *pro Codicis editione*, cuius munus praecipuum erit, singulis quinquenniis, vel saltem decenniis actualizatam editionem Codicis parare et cui adiungi etiam potest munus authentice

interpretandi Codicis canones; res maximi est momenti si desideretur Codicem ab abusivis et arbitrariis interpretationibus praeservare (Exc. Bernardin).

R. 1. § 1, n. 4 est simplex applicatio, tamquam norma transitoria, praescripti generalis canonis 20 (= can. 22 C.I.C.), quod praescriptum valet pro omni lege, etiam si in can. 6 non statueretur. Ad omne tamen fugandum dubium, addatur post « hoc Codice » locutio « ex integro ».

Notetur quod Codex vigens severior est, nam abrogat omnes leges universales disciplinares praeter legem (« ... quae ... nec explicite nec implicite in Codice contineantur »: can. 6, n. 6 C.I.C.).

Prae oculis vero habeatur quod praescriptum Schematis (quod ex natura ipsa rei profluit, ob necessariam certitudinem iuridicam), tantum respicit leges disciplinares, quarum materia ex integro in Codice ordinatur (n. 4) aut ipsi sint contrariae (n. 2).

Certocertius instructiones et, si quae sint, leges datae a S. Congregationibus per novum Codicem abrogantur et debent denuo exarari aut promulgari, quod, etsi laboriosum, optimum est pro certitudine iuridica.

2. Optima propositio, cui libenter subscribimus, sed non est materia Codicis. Ad Supremum legislatorem pertinet (et utinam faciat!). Aliquid simile praescripsit Benedictus XV in M. P. Cum Iuris Canonici, refrenare intendens inordinatam et subreptitiam activitatem legislativam SS. Congregationum, sed praescriptum — proh dolor — ad effectum deductum non est.

Ad can. 7

1. Non placet additio « ad bonum commune », quia remanet idea nimis voluntaristica legis, quae non est conformis Evangelio nec vitae Ecclesiae nec historiae (Card. Suenens).

R. Contrarium admittendum videtur. Fons obligationis legis est et ex eiusdem promotione boni communis et ex impositione per legislatorem. Textu schematis duplex ille fons indicatur. Propositio ergo admitti non potest.

2. Definitio legis, quae in canone data est, nimis generalis est et melius videtur ut supprimatur definitio (Card. König).

R. *Aliqua requiritur definitio, securitatis iuridicae causa. Determinare oportet quandonam vere habeatur lex.*

3. Incisum « norma... data » sat infelix videtur et supprimi debet (Card. Palazzini). Ratio allegatur: lex instituitur cum promulgatur, quando agitur non solummodo de norma generali; principium valet etiam de institutione legum particularium vel specialium quae dantur ab auctoritate competenti ad bonum alicuius communis vel pro coetu personarum determinato.

R. *Admitti non potest observatio. Omnis lex generalitate gaudet, etiam lex particularis, cum pro tota aliqua communitate detur. In textu, vox « generalis » opponitur normis singulis datis.*

Ad can. 8

1. Ad canonem in genere notatur schema a. 1977 aliud etiam praescriptum habuisse, videlicet: « Textus legum, quantum fieri potest, ante earum promulgationem transmittetur omnibus Episcoporum Conferentiis et, si specialiter Instituta vitae consecratae respiciant, etiam supremis eorum Moderatoribus, ita ut eodem ex tempore quo in Urbe etiam in variis territoriis leges, quando promulgatae sunt, divulgari valeant ». Ad fines pastorales practicas introduci denuo deberet haec norma (Card. Florit, Hume, Exc. Bernardin et Exc. O'Connell).

R. *Admitti non potest propositio. Nam non potest legislator ipse ligari ad hoc faciendum. Talis praxis pertinet ad politicam et prudentiam legislatoris, non ad ius.*

2. Supprimatur clausula: « nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus » ita ut promulgatio legum universalium fiat tantummodo per *Acta Apostolicae Sedis*.

Alii modi promulgationis problemata creant relate ad validitatem legum necnon ad ipsam receptionem. Restrictio huiusmodi in favorem vertitur ipsius Commentarii officialis, circa quod aliqua lamentatur desafectio in quibusdam dioecesibus, quae textum legum quaerunt in ephemeridibus (Exc. Bernardin).

R. *Intentio optima et legislator deberet se ipsum ad hunc officialem et regularem modum promulgationis restringere, sed ipsi in Codice non potest imponi.*

Ad can. 11

Ad §§ 2 et 3

1. In § 3 generalis affirmatur norma, vi cuius legibus ecclesiasticis tenentur qui ab Ecclesia catholica defecerint, nisi aliud iure expresse caveatur (e. g. pro forma matrimonii). Quaestio poni potest utrum talis norma sit legitima et conformis spiritui Evangelii. Quoad eos qui actu formali manifestarunt suam voluntatem relinquendi Ecclesiam catholicam, talis norma potest intellegi et haberi uti medium coactionis, quod reiicitur canone 707, § 2 et non congruit cum testimonio fidei. Proponitur ergo ut supprimatur § 3 et ut § 1 redigatur: « Legibus mere ecclesiasticis tenentur baptizati in Ecclesia catholica vel in eandem recepti, nisi actu formali (et publico) ab eadem defecerint, quique... » (Card. Suenens).

2. Addatur « *actu formali* »; non sufficit « *defecerint* ». Maior desideratur uniformitas. Cfr. cann. 191, 692, 1072 et 1078 (Exc. Bernardin).

R. *Animadversio admitti nequit. Nititur conceptu ecclesiologice erroneo, secundum quem Ecclesia configuratur ut « Kirche der Freieigenschaft » (J. Klein) e qua unusquisque ad libitum egredi potest. Propositio duceret ad absurdas conclusiones et omnem vim legi ecclesiasticae aufert: sufficeret ut quis declaret formaliter se relinquere Ecclesiam, ut non obligaretur lege; obligatio legis penderet ab ipsa persona privata; apostasia non amplius esset delictum punibile. Canon 707 § 2 non applicatur ad casum, nam respicit primum fidei amplexum seu incorporationem in Ecclesiam.*

3. Canon aliqua *ambiguitate* laborat, nam non apparet clare statuta condicio apostatum et schismaticorum relate ad legem ecclesiasticam. Suntne subiecti? aut suntne tantum subiecti si, cum defecerint, nulli aliae Ecclesiae aut communitati ecclesiali sese adscripserunt? (Exc. Henríquez).

R. *Animadversio fundamentum habet. Ut ergo omnis vitetur ambiguitas, § 2 ita modificatur:*

« Baptizati extra Ecclesiam catholicam, qui in eandem recepti non sunt, iisdem legibus directe non obligantur ».

Et § 3 supprimitur.

Ad can. 14

Melior aestimatur formula quae adhibetur in anteriore redactione: « nisi agatur de dispensatione quam suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut aliis reservaverit ». Nam: *a)* dispensatio a coelibatu reservatur Summo Pontifici; tamen hodie non infrequenter conceditur; ergo textus etiam intellegi potest de dispensatione a coelibatu in dubio facti « quia concedi solet ab auctoritate cui reservatur »; *b)* agitur in textu, non tantum de Episcopis dioecesanis, sed de omni Ordinario. Proponitur ergo ut dicatur « nisi agatur de dispensatione quam suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut aliis reservaverit » (Exc. Henríquez).

R. Non expedit. Textus reproducit ad litteram can. 15 C.I.C. Agitur de dubio facti, quo in casu praesumptio stat pro libertate, secus norma esset plane inutilis, attento can. 87.

Ad can. 16

Ad § 1

Post verbum « legislator » dicatur oportet: « eiusve successor et eorundem Superior » et postea loco « ab eodem », dicatur « ab iisdem » (Card. Palazzini).

R. Non debet addi « eius successor », quia ipse est legislator, nec debet addi « eiusve superior », quia Metropolita id facere non potest, et patet quod Romanus Pontifex id facere potest.

Ad can. 19

1. Expressio magis propria esset « expressum legis praescriptum aut consuetudo » (Card. Florit).

R. Admittitur. Et textus erit: « Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum aut consuetudo, causa, nisi sit poenalis... ».

2. Proponitur etiam ut tollantur verba « aut consuetudinis » quia gignere potest multas difficultates eo quod non determinatur de quanam consuetudine agat (Card. Palazzini).

R. Non admittitur, quia, cum non distinguat lex, agitur de omni consuetudine probata.

Ad can. 20

Ad hunc canonem addendum est « salvo can. 6, § 1, n. 2 ». Secus potest intellegi contradictio inter can. 20 et dictum can. 6 (Card. König).

R. *Non admittitur: clausula finalis id affirmat et sufficit: « nisi aliud in ipsa expresse caveatur ».*

Ad cann. 21-22

Proponitur ut inter canones 21 et 22 novus inseratur canon tenoris sequentis: « Stipulatio conventionum de quibus in can. 3 Apostolicae Sedi reservatur », secus gravia praeiudicia libertati Ecclesiae evenire possunt. Praeterea, si res per conventionem inter Episcoporum Conferentiam et Civitatem (seu Statum) ordinaretur, talis conventio in ambitu potestatis legislativae Civitatum modernarum maneret et proinde instabilis evaderet, dum conventio inter Apostolicam Sedem et Civitatem stabilitate conventionum iuris internationalis gaudet (Card. Bafile).

R. *Sufficiunt normae quae habentur in cann. 3 et 303, § 1, n. 2. Item revera Ecclesia aliquas particulares conventiones facit.*

Ad can. 22

Reintroducatur textus can. 21 praecedentis Schematis: « Leges latae ad praecavendum periculum generale urgent, etiam si in casu particulari periculum non adsit », quia id exigit bonum commune, adest in plerisque legibus civilibus et Ecclesia magis adhuc curam habere debet de bono spirituali (Exc. Henríquez).

R. *Canon Schematis praecedentis suppressus fuit quia superfluus: continet principium potius ordinis moralis. Iuridice, lex obligat dum viget, nisi legitima dispensatio obtineatur. Substantia canonis suppressi semper valet, sed non necessario in lege exprimenda. Cetero, contrarium nullibi in Schemate dicitur.*

Ad Titulum II: De consuetudine

Generalis observatio. Severae sunt restrictiones quae introducuntur ad validitatem consuetudinum in Ecclesia. Hisce restrictionibus non agnoscitur consuetudinum momentum in Ecclesiae historia et constituitur

impedimentum pro incremento iuniorum Ecclesiarum (non occidentalium). Insuper sermo fit de consuetudinibus centenariis: quid valet talis expressio pro communitatibus missionariis recentioribus? (Card. Suenens).

R. *Animadversio nimis generalis et non probata, immo omni caret fundamento. Schema retinet disciplinam vigentem, sed clariori modo exposita.*

Ad can. 26

1. Proponitur ut retineatur tempus saltem 40 annorum ut consuetudo vigenti iuri contraria vim legis obtinere possit (Card. Bafle); ratio allegatur: norma, vi cuius sufficiunt 20 anni ansam praebet omni generi abusuum; quaenam auctoritas iudicabit an transgressio legis « legitime servata fuerit »? Si ad hoc potestas Episcopi aut Episcoporum Conferentiae sufficeret, posset, per viam protracti abusus, tacite annuente loci Ordinario vel Conferentiae, cuilibet normae novi Codicis derogari, quae clausulam futuras consuetudines prohibentem non contineat (Cardd. Bafle et de Araujo Sales).

R. *Admittitur ex parte: statuuntur 30 anni.*

2. Petitur ut addatur hic alia §, scilicet: « Consuetudo quae, tempore utili, expresse a competenti Superiore ut abusus denuntietur, illegitima redditur » (Card. de Araujo Sales).

R. *Sufficiunt canones 23 et 26: doctrina est pacifice admissa.*

Ad Titulum III: De Decretis atque Praeceptis generalibus et de Instructionibus

Ad inscriptionem Tituli quaeritur cur in canonibus 29-34 quaestio tantum sit de Decretis, non autem de Praeceptis, dum tamen in inscriptione Tituli sermo fit « De Decretis atque Praeceptis generalibus » (Card. Florit).

R. *Admittitur observatio, et ideo supprimitur potius in inscriptione Tituli verba « atque Praeceptis ». Prae oculis tamen habeatur quod « praecepta » species sunt « decreti » (can. 41) et proinde in titulo veniunt sub nomine « decreti ».*

Ad can. 30

Ex officio: *Expressio « talis potestas » clara non videtur et ideo textus hoc modo mutatur: « Qui potestate executiva tantum gaudet, decretum generale de quo in can. 29 ferre non valet, nisi in casibus particularibus ad normam iuris a legislatore competenti expresse ipsi fuerit concessum et servatis conditionibus in actu concessionis statutis ».*

Ad can. 34

Proponitur ut tollatur canon (Card. Palazzini). Ratio allegatur: cum Instructiones, de quibus in can. 34 leges non sint, legis tamen praescripta declarant et explicant, quod perficitur per legis interpretationem (cann. 16-22), tolli potest hic can. 34, ad vitandas incertitudines et conflictus inter leges et instructiones.

R. Admitti non potest observatio. Abusus fuit in praeterito per Instructiones veras leges dare. Certitudo iuridica requirit ut determinetur vis et efficacia Instructionis et ut leges non amplius dentur sub forma Instructionis, quae M. P. Benedicti XV Cum Iuris Canonici, n. II definitur: « Instructiones... quae iisdem Codicis praescriptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant ». Instructiones non sunt leges et ideo sub forma Instructionum ferri non possunt leges.

Ad can. 35

Quaeritur utrum agatur de potestate executiva sive propria sive delegata an de propria tantum (Card. Bafle).

R. Potestati delegatae non opponitur potestas propria, sed potestas ordinaria. Patet quod in canone agitur de omni potestate.

Ad can. 36

Ad § 2. Verbis « non debet » substituitur « nequit », ut magis appareat vis praeceptiva (Card. Palazzini).

R. Verba sunt certa et clare vim praeceptivam includunt.

Ad can. 40

Clausula finalis « nisi... fuerit » tollatur, quia « verba volant, scripta manent » (Card. Palazzini).

R. *Admitti non potest observatio: respondet clausula praxi, praesertim hodie cum communicationis media magnas possibilitates permittunt.*

Ad can. 51

Ex officio: *Post verba « feratur expressis », addatur « si agatur de decisione » quia tantum his in casibus requiritur absolute expositio motivorum.*

Ad can. 87

1. Laudatur § 1, praesertim quod « spirituale bonum » tamquam motivum dispensationis assumatur (Exc. Bernardin).

2. Locutio « Episcopus dioecesanus » non servetur et dicatur hic (uti etiam in can. 88) « Ordinarius loci » (Card. König).

R. *Non expedit. Agitur de amplissima potestate, et in Decreto Christus Dominus, n. 8 haec potestas datur « Episcopis dioecesanis » tantum.*

3. Ex ultima clausula canonis 87 videtur quod dispensatio a lege coelibatus reservatur « Sedi Apostolicae », dum econtra in canone 266 videtur reservari « Romano Pontifici ». Proponitur ut ad dispensationem a lege coelibatus pro diaconis competens sit « una Apostolica Sedes », sed pro presbyteris « unus Romanus Pontifex » (Card. Bafle).

In § 2 omittatur clausula « firmo praescripto... », quia non est necessaria (iam inclusa in « quam ipsa in iisdem adiunctis dispensare solet ») et non pertinet ad *Normas Generales*. Includatur potius ubi de coelibatu agitur (Exc. Bernardin).

R. *Loco ultima clausula « vi cuius dispensatio... », dicatur: « firmo praescripto can. 266 ».*

Ad can. 88

Quod in can. 88 dicitur de dispensatione a legibus « ab Episcoporum Conferentia latis » respicit principium generale: quaestio est utrum opportunum sit ut Episcoporum Conferentiae potestate legifera augendae sint an non (Card. Palazzini).

R. *Hac potestate certis limitibus circumscripta ornati sunt ipso Concilio Vaticano II (Decr. Christus Dominus, n. 38, 4).*

Ad Titulum V: De Statutis et Ordinibus

Generalis observatio. Minus placet modus dicendi « et Ordinibus » et melius esset dicere « et Edictis » (Card. Palazzini). Hic modus loquendi esset magis opportunus, quia generatim edicta respiciunt constitutionem, moderamen et rerum agendarum rationes in coadunationibus seu conventibus, dum e contra, Ordines vim magis praeceptivam habent.

R. Admitti non potest observatio. Intentio in redactione fuit ut daretur significatio verborum quae a S. Sede adhibentur pro documentis seu actis Apostolicae Sedis. Agitur hic de Ordinibus, uti sunt « Ordo Concilii », « Ordo Synodus Episcoporum »; non agitur de edictis.

Edictum praeterea aliam habet significationem. In Codice vigente audit « communicationem publicam » (cfr. can. 1720 et can. 2043).

Ad can. 94

Ad § 1

Deleantur in hac § 1 verba « licet hoc nomine vocantur etiam leges a legislatore non supremo in Ecclesia editae » (Cardd. Primatesta, Ratzinger, Freeman). Rationes quae indicantur sunt sequentes:

a) non habet momentum quod in textu legali detur explicatio alicuius termini iuridici (Card. Primatesta);

b) una sola significatio pro verbis retinenda est, quantum possibile sit (Card. Freeman);

c) superflua sunt illa verba et etiam alia ex parte non sufficiunt. Idea vi cuius statuta sunt effectus autonomi iuris praeceptorum non attenditur, et est tantummodo expressa in verbis « ad normam iuris ». Definitio, uti in can. habetur, difficulter applicari potest illis Consociationibus, quae sunt organa legislativa et habent autonomum ius legisferandi. Non possunt Episcoporum Conferentia et Capitulum canonicorum haberi uti « Christifidelium consociationes ». Melius est ut initium fiat a personis iuridicis (cfr. can. 223, § 3), et ita etiam Episcoporum Conferentia et Capitulum comprehenduntur; deinde, consociationes quae non sunt personae iuridicae comprehendere debent. Et etiam legislatio indicari debet ab Auctoritate ecclesiastica (Card. Ratzinger).

Textus novus proponitur, ut sequitur:

« § 1. Statuta sunt quae in personis iuridicis et in consociationibus characterem personae iuridicae non habentibus, ad normam iuris propria auctoritate conduntur et a competenti auctoritate ecclesiastica approbantur ordinationes, quibus definiuntur earum finis, constitutio et regimen, atque actionis rationes.

§ 2. Statutis personae iuridicae quae est universitas personarum, necnon consociationis privatae obligantur solae personae quae sunt legitime eiusdem membra; statutis rerum universitatis obligantur ii qui eiusdem moderamen curant (aut cum eadem negotia pertractant) » (Cardd. Ratzinger et Freeman et Exc. O'Connell).

« § 3. Quae statutorum praescripta vi potestatis legislativae condita et promulgata sunt, reguntur praescriptis canonum de legibus » (Card. Ratzinger) vel « Pro regula habeatur, ut statuta ex ipsius conventionis praescripto obligant, sed quae statutorum praescripta vi potestatis legislativae condita et promulgata sunt, reguntur praescriptis canonum de legibus » (Card. Freeman).

R. *Placet propositio, quoad substantiam, et textus erit:*

« § 1. Statuta, sensu proprio sunt quae in universitatibus sive personarum sive rerum ad normam iuris conduntur ordinationes, quibus definiuntur earundem finis, constitutio, regimen atque actionis rationes.

« § 2. Statutis universitatis personarum obligantur solae personae quae legitime eiusdem membra sunt; statutis rerum universitatis, ii qui eiusdem moderamen curant ».

« § 3. Quae ... vi potestatis legislativae condita ... ».

Ad Titulum VI: De personis physicis et iuridicis

Observatio generalis de inscriptione Tituli. Inscriptio Capitis I corrigatur et sit: « De personarum physicarum constitutione et condicione iuridica ». Insuper expedit ut statim ponatur canon qui ita sonat: Baptismate homo constituitur in Ecclesia persona cum omnibus christifidelium iuribus et officiis (obligationibus), nisi ad iura quod attinet, obstat obex aut censura ecclesiastica ... (Card. Palazzini).

R. *Talis norma adest in LEF. Si haec autem non servabitur, hic ponetur norma.*

Ad can. 101

Variae proponuntur sententiae:

1. Una ex parte, aestimatur, ratione magnae hodie mobilitatis, criterium in cann. 101 et 102, criterium scilicet territorialitatis, apparere rigidum et exinde nasci problemata pro processibus. Requiritur ut aliquod elementum inseratur, quo norma magis flexibilis redditur (Card. Florit).

2. Altera ex parte, proponitur ut protractio pro domicilio sit reducta ad *quinquennium* (Exc. Henríquez). Ratio allegatur, quia continui motus in residentia reddunt necessariam hanc temporis reductionem, etiam eo vel magis quod ad tres menses reducit residentia pro quasi-domicilio.

3. Attamen etiam proponitur ut ius vigens de quasi-domicilio servetur (Card. Parecatil). Coetus pro Codice Iuris Canonici Orientalis unanimiter admisit normam non esse mutandam, quia non datur gravis ratio ad mutationem in disciplina introducendam et quia in mundo hodierno magis vitari debet ne Ordinarius et parochus proprius facile mutantur.

R. Ad 1: *Si manet territorialitas tamquam regula generalis pro constitutione Ecclesiae particularis* (can. 339, § 1) *et paroeciae* (can. 457) *non potest ab ipso criterio territoriali prescindi in determinatione domicilii et quasi-domicilii. Normativa Schematis non potest dici « rigida », certo flexibilior est quam illa Codicis vigentis. Ad processus quod attinet superabundanter providetur in can. 1625.*

Ad 2: *Admittitur: loco « decennium », dicatur « quinquennium ».*

Ad 3: *Ius vigens mutatum est, pluribus rogantibus, ratione etiam mobilitatis socialis.*

Ad can. 101 bis

Proponitur ut sermo fiat de membris Institutorum religiosorum, dicendo e. g.: « Sodales Institutorum religiosorum et Societatum vitae apostolicae domicilium aut quasi-domicilium acquirunt in loco ubi sita est domus cui adscribuntur » (Card. Pironio).

R. *Admittitur propositio, sed textus propositus aliquatenus modificatur: « Sodales Institutorum religiosorum et Societatum vitae apostolicae ».*

licae domicilium acquirunt in loco ubi sita est domus cui adscribuntur; quasi domicilium in domo, ubi ad normam can. 101, § 2, commorantur ». Canon inserendus est post can. 101. Canon vero 102 transfertur post can. 104.

Ad can. 106

Melius esset ut servaretur, uti fuit usque in hodiernum diem, computatio germanica graduum consanguineitatis (Card. König).

R. Non videtur admittenda observatio, quia ab omnibus admissum fuit normam Schematis clariorem esse.

Ad can. 109

Ad § 1

1. Enuntiatio « Inter varias Ecclesias rituales sui iuris... » infelix est, et proponitur ut sit textus: « Persona ad illum *ritum* Ecclesiae sui iuris pertinet in quo ad normam iuris baptizanda erat » (Card. Palazzini). Ratio invocatur can. 6 M. P. *Cleri sanctitati* pro Ecclesiis Orientalibus.

2. De adscriptione Ecclesiae latinae (cann. 109 et 806) differunt canones utriusque Commissionis. In can. 109 substantialiter eodem modo ac in C.I.C. a. 1917 adscriptio alicui Ecclesiae concipitur, hoc est uti ius Ecclesiae universae determinans. Non est Ecclesiae Latinae statuere quidquid de adscriptione Ecclesiis Orientalibus, nec est Ecclesiae Orientalis cuiusdem vel Codicis orientalis quidquid statuere de adscriptione Ecclesiae latinae vel de licentia data latinis transmigrandi ad alium ritum (Card. Parecattil).

3. Redactio huius canonis videtur nimis rigida. Proponitur ut textus sit: « Aspirantes ad presbyteratum et diaconatum, baptizati in ritu latino, sed pertinentes ad alium ritum sui iuris ratione filiationis, possunt, consulta Sancta Sede, transire... » (Card. Primatesta). Ratio est, quia in America Latina, saepius candidati ad ordinationem baptizati ritu latino sunt, deficientibus sacerdotibus ritus paterni; ingrediuntur in Seminarium, et, cum Libri baptismatis solam mentionem faciant Baptismi latini, nulla datur suspicio eos pertinere ad Ecclesiam alius ritus.

4. Valde placet nam supprimit discriminationem ratione sexus. Etiam placet clausula « ad normam iuris baptizandus erat » coll. cum can. 806, § 2, iuxta quem decisio parentibus concordī voluntate relinquitur. Haec norma multum inserviet ad problemata ex hereditaria adscriptione alicui Ecclesiae sui ritus solvenda (Exc. Bernardin).

R. *Textus can. 109 sit uti sequitur:*

« § 1. *Ad Ecclesiam pertinet latinam baptizatus qui in ea ad normam iuris baptizandus erat.*

§ 2. *Attamen, post receptum baptismum, alii Ecclesiae rituali sui iuris adscribuntur:*

1) *qui facultatem transeundi ad aliam Ecclesiam ritualement sui iuris ab Apostolica Sede obtinuerit;*

2) *coniux qui, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad Ecclesiam ritualement sui iuris alterius coniugis se transire declaraverit; matrimonio autem soluto, libere potest ad latinam Ecclesiam redire;*

3) *filiū eorum de quibus in nn. 1 et 2 ante decimum quartum aetatis annum completum itemque, in matrimonio mixto, iidem filii partis catholicae quae ad aliam Ecclesiam ritualement legitime transierit; adepta vero hac aetate, possunt ad latinam Ecclesiam redire.*

§ 3. *Mos, quamvis diuturnus, sacramenta secundum ritum alicuius Ecclesiae ritualis sui iuris recipiendi, non secumfert adscriptionem eidem Ecclesiae ».*

Ad propositionem Card. Primatesta quod attinet, dici debet quod casui provisum est: potest enim dari facultas a Sancta Sede.

Ad can. 112

Melius esset ut dicatur « coetus » (ut in Schemate praecedenti), nam non omnes personae iuridicae collegiales sunt *communitates*, v. gr. Conferentia Episcoporum (Exc. Henríquez).

R. *Verbum « coetus » minus proprium est, nam significat « hominum complexum qui casu insimul sunt » (cfr. cann. 411, 1584, 1359, etc.). Ut ratio tamen habeatur animadversionis, quae aliquo fundamento nititur, canon ita modificatur:*

« § 2. *Universitas personarum, quae quidem nonnisi ex tribus sal-*

tem personis constitui potest, est collegialis, si eius actionem determinant membra, in decisionibus ferendis concurrentia, sive aequali iure sive non, ad normam iuris et statutorum; secus est non collegialis ».

Ad can. 113

Proponitur alius textus ad § 1: « Personae iuridicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab auctoritate ecclesiastica competenti constituuntur ». § 2: « Ipsae hac personalitate donantur sive ipso iure sive speciali competentis auctoritatis decreto eandem expresse concedente » (Card. Pironio). Ratio allegatur: dubitari potest de convenientia introducendi distinctionem inter personam iuridicam publicam et privatam. Distinctio, quae in iure civili admittitur, minus fundatur in iure Ecclesiae, et criterium distinctionis « agere nomine Ecclesiae » non est plane clarum; ita Instituta saecularia, quae habent saepe inter fines suos apostolatium, agerent in politica et aliis circumstantiis « nomine Ecclesiae ».

R. *Animadversio eo tendit ut supprimatur distinctio inter personas iuridicas publicas et privatas; quae vero distinctio iam admittebatur ab auctoribus et merito habetur ut progressus scientiae canonicae. Aliquo modo profluit ex libertate associationis a Concilio Vaticano II clare asserta (AA 19; PO 8) et Concilium eam corroborat. Ab organo consultationis denique probata est, non potest ergo supprimi, uno tantum proponente.*

Attenta animadversione ad can. 112 et correctione ibi facta, loco « communitates » in §§ 1 et 3 dicitur « universitates », terminus magis technicus relate ad personas iuridicas.

Canon ita sonat: « § 1. Personae iuridicae publicae sunt universitates personarum aut rerum, quae ab ecclesiastica auctoritate competenti... ».

« § 3. Nulla personarum vel rerum universitas personalitatem iuridicam obtinere intendens... ».

Ad can. 114

Proponitur suppressio personarum iuridicarum privatarum (Card. Pironio). Ratio allegatur: videtur difficultatem adesse ad eas personas iuridicas privatas admittendas, quia difficile est distinctionem admittere in-

ter « consociatio privata personalitate iuridica donata », et « non donata ». Videretur magis logicum admittere quod consociationes privatae essent semper vere liberae, sine personalitate iuridica et sine approbatione statutorum ex parte auctoritatis ecclesiasticae, quod non significat eas esse immunes a vigilantia pastoralis ex parte eiusdem auctoritatis (Card. Pironio).

R. *Cfr. resp. ad praecedentem animadversionem. Personalitas iuridica non mutat condicionem privatam associationis (can. 698), sed illi tantum capacitatem iuridicam in ordinamento canonico tribuit. Alia ex parte omnimoda libertas admitti non potest. Valde enim expedit approbatio statutorum immo ut aliqua habeatur recognitio associationis privatae ex parte auctoritatis ecclesiasticae, proinde canoni 674 addita est sequens paragraphus: « Nulla christifidelium consociatio privata in Ecclesia agnoscitur, nisi cuius statuta ab auctoritate competente recognoscantur ».*

In textu Schematis tamen supprimuntur verba « ad normam iuris conditis » quia omnino superflua.

Ad can. 115

Ad n. 1, post verba « si agatur de electionibus », addatur « ad quarum validitatem requiritur convocatio omnium ius participandi habentium » et postea prosequatur: « id vim habet iuris quod, praesente maiore parte rite convocandorum, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes » (Card. Palazzini). Ratio est: ad vitandos abusos, ut experientia nos docet.

R. *Non requiritur, quia provisum iam est in can. 163.*

Ad can. 121

Proponitur textus ut sequitur:

« Actus iuridicus ut valeat debet esse positus a persona ad actum habili iure sufficienter instructa, per declarationem voluntatis in causa determinata et a iure possibili, observatis iis sollemnitatibus et aliis requisitis, quae lege ad validitatem actus imposita sunt (Card. Ratzinger). Ratio allegatur: non sufficit ad actum iuridicum habilitas generalis (« sui compos »), sed etiam requiritur specifica habilitas quae exigitur (e. g. libertas ab impedimentis pro matrimonio). Non potest competentia sim-

pliciter requiri: non omnis ex incompetencia positus actus iuridicus est invalidus (cfr. incompetencia relativa, can. 1359, § 2). Communiter, quando agitur de actibus iuridicis, non est quaestio tantum de competentia, quia notio « competentiae » relationem habet tantum ad actus ab ipsa auctoritate positos; ideo additur in textu proposito « iure sufficienter instructa ». Formula « atque in eodem adsint quae actum essentialiter constituunt » nimis generalis videtur. Requiruntur manifestatio seu declaratio voluntatis, determinata res seu determinatum obiectum atque licentia seu possibilitas iuridica, et haec omnia indicari debent.

R. Non admittitur textus propositus quia nimis implexus et non semper exactus. Habilitas in canone intellegitur sensu lato, scil. habere ius ad actum de quo agitur. Locutio « quae actum essentialiter constituunt » optima est, suffragium invenit in traditione iuridica (cfr. can. 1680 C.I.C.) et non potest confundi cum illis quae enumerantur in propositione facta. Tamen ne confusio detur inter ea quae ad validitatem actus requiruntur et habilitatem personae, supprimuntur verba « et competentia ».

Ad can. 122

Ad § 1

Loco verborum « pro infecto habetur » dicatur clare et aperte « invalidus est » (Card. Palazzini).

R. Expressio Schematis est traditionalis in iure et ideo admittenda non est correctio proposita.

Ad can. 123

Denuointroducatur can. 115 praecedentis Schematis: « Invalidus censetur actus collegii si maior pars membrorum collegii ex vi et metu aut ex dolo, de quibus in can. 122, § 2, aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerint; si unum alterumve collegii membrum talibus ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, actus validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris iis quorum interest » (Cardd. Hume, Ratzinger et Exc. O'Donnell). Uti § 1 eiusdem canonis proponitur etiam « Invalidus est actus collegii, si vel unum ex collegii membris votum suum ex vi, de qua in can. 122,

§ 1 protulerit » (Card. Ratzinger); deinde dividitur textus canonis supra indicatus, et a Card. Hume etiam propositus, in duas §§ (ita Card. Ratzinger), quia valde utile, immo necessarium est.

R. *De hac quaestione ampla fuit disceptatio in sessionibus anterioribus. Non admittitur observatio: actus collegii est actus maioris partis membrorum; cann. 113 et 114 de singulis membris agit; sufficiunt quae habentur in can. 148: liber debet esse suffragium et non necesse est ut separatim agatur de actibus collegii. Canon esset periculosus propter condiciones subiectivas quae subintrarent et quae difficillimae sunt probationis.*

Ad can. 124

Initio canonis addi posset: « Salvis particularibus constitutionibus », vel « nisi aliter iure particulari cautum sit » (Card. Pironio). Ratio allegatur: procedura ad obtinendum consensum vel consilium ex parte Superioris videtur nimis rigida et non considerat sufficienter leges particulares; quando agitur de « consilio » constitutiones Institutorum quasi semper liberaliores sunt.

R. *Consultores timent ne norma per legem particularem omni ro-bore privetur, et abusus irrepant. Norma tamen aliquatenus temperari potest. Post verba « ad normam can. 163 » addi potest « nisi, cum agatur de consilio tantum exquirendo, aliter iure particulari aut proprio cautum sit ».*

Ad can. 126

1. Non placet statuitio quod laici non sunt « habiles potestatis regiminis ». Infelici modo distinctio inter clericos et laicos statuitur. Si laici sunt inhabiles, quomodo possunt illam potestatem exercere? Consideretur, ex. gr. *oeconomus*: iuridicam habet stabilitatem (« ne amoveatur nisi ob gravem causam »), implicat exercitium executivae potestatis (« bona dioecesis sub auctoritate Episcopi administrare ») et exerceri potest a laico.

Proponitur sequens formulatio:

« Potestas regiminis, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, ad normam praescriptorum iuris proprie exercetur ab illis qui

ordine sacro sunt insigniti; quatenus eodem ordine sacro non innitur, potestas regiminis exercetur a christifidelibus laicis ex concessione singulis pro causis ab auctoritate Ecclesiae suprema » (Exc. Bernardin).

2. Proponitur ut supprimantur verba « et etiam potestas iurisdictionis vocatur » (Cardd. Palazzini, Freeman), quia superflua (Card. Palazzini) et quia requiritur ut Codex bene determinatam habeat terminologiam et non adhibeat duos terminos ad eandem institutionem indicandam (Card. Freeman, Excc. O'Connell et Bernardin).

R. *Necesse videtur ut maneat textus, quia antea semper quaestio fuit de potestate iurisdictionis; servato hoc verbo, omnes scire possunt de quanam potestate agatur.*

3. Fundamentalis proponitur obiectio contra hunc canonem 126 simulque contra canones 244 et 1373, § 2 (Cardd. Ratzinger, Hume, Freeman, O'Fiaich). Proponitur textus ita emendatus: « Potestatis regiminis, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia et etiam potestas iurisdictionis vocatur, ad normam praescriptorum iuris, habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti ». Emendatio ad canonem 244 proponitur: « Soli clerici obtinere possunt officia, ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis (quae quidem semper est ordine sacro innixa) » (Cardd. Ratzinger, Hume, Freeman et O'Fiaich). Canon 1373 deleri debet (Card. Ratzinger). Rationes indicantur quae sequuntur:

a) Non apparet in his canonibus notio suprema *potestatis sacrae* vel *potestatis ecclesiasticae* (Cardd. Ratzinger, Hume).

b) Ex verbis « potestas regiminis ordine sacro innixa » inferri potest in Ecclesia unicam dari potestatem, quae quidem fundatur ordine sacro. Haec conceptio congruit cum doctrina quae habetur in Concilio Vaticano II (*Lumen gentium* 21, 2; Nota explicativa ad LG Pr., n. 2, § 2, 28, 1) (Cardd. Ratzinger, Hume). Canon autem 126 alium conceptum profert; vi huius canonis, exercitium huius potestatis regiminis potest etiam concedi iis qui non habent potestatem sacram, et quidem vi simplicis concessionis ab Ecclesiae suprema auctoritate; et hoc apparet etiam ex eo quod iudices nominari possunt laici in processibus in quibus collegium trium iudicum de causa matrimoniali iudicare debet. Verbis « in exercitio... ipsis concedit » canonis 126 in iure periculosa

introduceretur notio (Card. Ratzinger). Ita fieri potest ut potestas decisionis in Ecclesia concedi posset corporibus quibus tantummodo pertinet suam dare opinionem, non autem decisionem ferre, scilicet ut etiam potestas decisionis, legislativa vel administrativa, laicis in Episcoporum Conferentiis, in Conciliis particularibus, omnibus scilicet qui in ipsis participant, etiam laicis agnoscatur. Hoc duceret ad erroneam divisionem potestatis publicae in Ecclesia et esset contrarium constitutioni Ecclesiae (Card. Hume, Ratzinger).

c) Etiam doctrina sic introducta contraria est historicae evolutioni doctrinae potestatum.

In Ecclesia potestas ad munera sacra adimplenda non oritur a populo, sed nititur missione a Christo data, a potestate quam Christus tradidit apostolis (« ut suae participes potestatis, omnes populos facerent discipulos suos » (LG 19, 1). In systemate prioris temporis Ecclesiae, scilicet relativae ordinationis, unitas aderat ordinationis et muneris: concessio muneris fiebat per ordinem sacrum. Certo aderant problemata: quid v. gr. quando Episcopus in haeresim lapsus a munere privatus erat? Ex iis quaestionibus exorta est idea distinctionis inter potestatem Ordinis et potestatem Iurisdictionis et ita conceptio admissa est, vi cuius Potestas ordinis ordinatione concedebatur, dum potestas iurisdictionis revocari poterat ab auctoritate. Attamen unitas potestatis sacrae ex eo patebat quod potestas iurisdictionis semper et tantum uti conexa cum potestate ordinis exsistere potuit. Mox autem ita proposita est doctrina ut duae potestates distinctae proponerentur. Ita pervenerunt ad doctrinam independentiae potestatis iurisdictionis a potestate ordinis.

In Codice a. 1917 servata est unitas potestatis sacrae, quae semper ab Hierarchia dependet, ita ut soli clerici eam potestatem habere possint, sed admissum etiam est eandem potestatem « ratione ordinis » et « ratione iurisdictionis » distinguere posse (can. 118) (Card. Ratzinger).

d) In Concilio Vaticano II unitas omnis potestatis in Ecclesia magis affirmatur et denuo sermo est de « *potestate sacra* ». Potestas presbyteri est participatio potestatis episcopalis, sed in eadem exercenda pendet ab Episcopo (LG 28, 1). Sed, potestas Episcopi, ordinis et iurisdictionis, nititur ordinatione (LG 21, 2, Nota explicativa, Pr. n. 2, 2). De diaconis non datur affirmatio directa de participatione eorum in « *potestate sacra* ». Ipsis conceditur vel agnoscitur ius assistendi matrimoniis (LG 29, 1) et ideo concludi debet quod diaconus « *habilis* »

est ad partem determinatam et limitatam habendam in « potestate sacra ».

Idea autem participationis laicorum in « potestate sacra », est aliena a Concilio. Eorum pars in munere regendi tantummodo indicat quod esse possunt in servitio directionis seu regiminis, sed *suo modo*, ergo non ut exercentes ipsam potestatem, quia non habent ordinem sacrum. Idea potestatis sacrae ordine non innixa non existit in documentis Concilii.

M. P. *Causas matrimoniales*, quatenus agnoscit partem laicorum in exercitio potestatis iudicialis, ergo possessionem illius potestatis, dicendum est non congruere cum doctrina conciliari (Card. Ratzinger).

e) Non intellegitur laicos partem habere posse in exercitio alicuius potestatis, quam non possident; habetur contradictio in terminis in affirmatione, vi cuius persona potest exercere potestatem, quam rationibus theologicis nequit possidere; ad personam quae non est « habilis » non potest transmitti potestas aliquo actu iuridico, ne quidem actu iuridico auctoritatis supremae (Cardd. Hume, Ratzinger, Freeman). Etiam exercitium alicuius potestatis, vel participatio in exercitio alicuius potestatis, quam non possidet, est inventio aliqua, nullo fundamento innixa. Ideo dici etiam debet quod potestas regiminis « ordine sacro non innixa » est contradictio in seipso (Card. Ratzinger). Talis conceptio est contraria doctrinae Vaticani II (Cardd. Ratzinger, Hume, O'Fiaich) et est periculosa (Cardd. Hume, Freeman, O'Fiaich). Itaque proponitur textus ab initio ad hunc canonem expositus et a dictis Cardinalibus postulatus. Ab iisdem petitur etiam ut canon 1373 supprimatur.

4. *Contraria sententia* proponi tamen videtur ab alio (Card. Marty). Proponit ut non tantum suprema Ecclesiae auctoritas possit concedere potestatem regiminis ministris non ordinatis, sed etiam ut talis potestas laicis tribui possit ab Episcopis dioecesanis et Episcoporum Conferentiis. Ratio allegata est: ad vitandam nimiam centralisationem.

5. Petitur etiam ad hunc canonem ut dividatur in duplicem §§: prima esset « Potestas regiminis, quae ex divina institutione est in Ecclesia, habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti »; altera § esset: « In exercitio... » usque in finem, uti prostat (Card. Palazzini).

6. Valde expedit ut affirmetur etiam principium generale, ad mentem nn. 21 et 27 Constitutionis dogmaticae *De Ecclesia*, nempe quod

unica est in Ecclesia Christi potestas sacra, licet in eadem habetur pluralitas seu diversitas functionum. Ideo funditus revisendus est etiam can. 132 necnon omnes canones qui potestatem regiminis respiciunt (Card. Palazzini). Opportunum est ut de singulis functionibus potestatis regiminis normae certae et clarae in novo Codice tradantur (Card. Palazzini).

7. Non intellegitur quid significetur per verba « singulis pro causis ». Prout sonant verba, videretur necessarius actus supremae Ecclesiae auctoritatis pro unoquoque casu concreto, quo personae laicae concederetur; hoc non videtur intendi. Ergo clarius dicatur oportet (Card. Bafle).

8. Canon 126 statuit quod in exercitio potestatis regiminis, quatenus ordine sacro non innitur, christifideles laici eam partem habere possunt quam singulis pro causis auctoritas suprema Ecclesiae ipsis concedit. Haec autem possibilitas *tum viros tum mulieres* respicit. Attendant super hanc quaestionem specialem Patres quibus iudicium pertinet (Card. Bafle).

R. *Quaestiones hic motae committantur dirimendae Plenariae Congregationi Commissionis.*

Ad can. 129

Verbum « facultas » non modo univoco et uniformi habetur in Schemate. Examini subiciatur, et tamquam rectior significatio adhibeatur ista quae in canone 129 invenitur (Exc. Bernardin).

R. *Videbitur singulis in locis, sed non potest admitti a priori quod tantum ista sit significatio propria verbi « facultates ». Videantur aliae in ipso C.I.C. et apud auctores.*

Ad can. 131

1. Secundum hunc canonem non essent Ordinarii Moderatores Institutum saecularium atque consociationum clericorum, etiam si habeant ius incardinandi (cann. 237, § 3, 641, 662). Altera ex parte saltem Moderatores Consociationum clericalium cum facultate sibi clericos incardinandi, iuxta can. 691, § 2, partem habent in potestate regiminis, quantum talis potestas ad regimen Consociationis requiritur. Videtur

eos esse indicandos uti Ordinarios. Idem dici debet de Moderatoribus Institutorum saecularium iuris pontificii, quae vi concessionis apostolicae clericos sibi incardinari valent (Card. König).

R. *Non est eadem ratio ac pro Moderatoribus Institutorum religiosorum. Non possunt hi Moderatores iisdem assimilari. Ergo non admittitur propositio.*

2. Videtur non componi praescripta § 3 cum can. 399, §§ 1 et 2 (Card. Palazzini). Ratio seu explicatio allegatur: in can. 131, § 3, statuitur: « Quae in canonibus Episcopo dioecesano, in ambitu potestatis executivae tribuuntur competere dumtaxat Episcopo dioecesano... exclusis Vicario generali et episcopali, nisi de speciali mandato ». Hoc praescriptum videtur non bene componi cum can. 399, §§ 1 et 2, ubi statuitur: « Vicario generali, vi officii, in universa dioecesi competit potestas executiva quae ad Episcopum dioecesanum iure pertinet... Vicario eadem competit potestas... ». Fere eodem sensu (Exc. Bernardin).

R. *Non adest contradictio. Quandoque requiritur speciale mandatum de quo mentio fit in can. 131. Praeterea in § 3 statuitur necessaria « regula loquendi », secundum quam sub nomine « Episcopi dioecesani » non veniunt per se Vicarius generalis nec Vicarius episcopalis. Ita fit adaequata distinctio inter verba « Episcopum dioecesanum » et « Ordinarium loci ».*

Ad can. 132, § 2

Canon involvit theoreticam quaestionem. Si potestas legislativa sacramento ordinis innititur sicut ceterae potestates regiminis, qua de causa non potest delegari sicut et aliae? Agitur in canone de impossibilitate? Videretur quod canon dirimere intendit quaestionem adhuc discussam.

Proponitur ergo formulam alternativam:

« Potestas legislativa... delegari potest valide solummodo in casibus iure explicite designatis... », vel: « Potestas legislativa... ne delegetur sub poena nullitatis nisi aliud iure explicite caveatur » (Exc. Bernardin).

R. *Huiusmodi interpretatio ultra intentionem et ipsam litteram canonis it. Secundum hermeneuticam iuridicam (unicus modus legitimus interpretandi canones) canon continet tantum praescriptum positivum, quin*

minime intendat in quaestiones doctrinales discussas ingredi, aliis verbis, canon statuit tantummodo prohibitionem positivam nihil dicens nec supponens circa impossibilitatem ontologicam. Immo, potius contrarium supponit, ut eruitur ex verbis « nisi aliud iure explicite caveatur ». Si ergo ontologice impossibile esset delegatio, ius non poterat aliud cavere. Retineatur proinde canon uti iacet.

Ad can. 137, § 2

Ex officio: Loco « secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. 115 » dicatur tantum « ad normam can. 115 », ratione sobrietatis textus legislativi.

Ad can. 139

Desideratur maior claritas legisque certitudo de extinctione potestatis executivae, pluribus ad negotium collegialiter agendum delegatis, de qua in can. 137; insuper opportunum esset, si compleatur canon, substituendo verba « revocatione delegantis » cum dictione « revocatione Superioris legitime delegantis ». Idem dicendum est de clausula « deleganti significata », quae substitui potest cum dictione « legitime superiori significata » (Card. Palazzini). Quae omnia prae oculis habenda sunt etiam in revisendis canonibus de sanctionibus in Ecclesia applicandis (Card. Palazzini).

R. Propositio nihil clarius adiungit. Canon, qui ad litteram reproducit can. 207 C.I.C., per 65 annos clarus fuit et nullam invenit difficultatem interpretationis. Servetur ergo textus uti iacet.

Ad can. 141

Petitur ut in canone includatur etiam « potestas » generica de qua in prima parte can. 523 (Card. Pironio). Ratio est, quia vitarentur multi actus nulli.

R. Propositio considerabitur in « De institutis vitae consecratae ».

Ad can. 142

Probatur lata definitio officii ecclesiastici (Card. Marty).

Ad can. 148

Rogatur per quantum tempus provisio officii ecclesiastici differri possit (Card. König). In can. 155, § 1, et cann. 158, 162, sermo est de tribus mensibus. Norma canonis 148 est nimis indeterminata.

R. Textus servandus est: provisio est quaestio semper urgens et impossibilis est terminum temporis determinare cum circumstantiae quae dantur inter se dissimillimae esse possunt. In aliis canonibus agitur de terminis pro praesentatione et electione.

Ad can. 168

Ad § 1

1. Ad n. 5 statuitur quod incapax est suffragium ferendi « qui Ecclesiae aut communitati ecclesiali ab Ecclesia catholica seiunctae adscriptus est, aut ab eiusdem communione formaliter defecit ». Adest contradictio cum can. 166, in quo statuitur quod ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet (Exc. Henríquez). Ratio allegatur: can. 168, § 1, n. 5, supponit illos adscriptos communitati seiunctae esse membra collegii vel coetus eligentis; altera ex parte non admittuntur ad electionem, ita ut, si participant, electio nulla sit; attamen electio est valida, nisi « constet electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum » (§ 2). Datur aliqua contradictio inter illos duos canones.

R. Aliqua difficultas haberi potest relate ad illos qui « Ecclesiae aut communitati ecclesiali ab Ecclesia catholica seiunctae adscriptus est » quia difficile concipitur quod sint adhuc membra alicuius collegii quod normis canonis regitur. In can. 681, § 0 statuitur quod illi consociationibus publicis adscribi non possunt.

N. 5 proinde ita corrigitur: « qui ab Ecclesiae communione notorie defecit ».

2. Ad eundem canonem 168, § 1, n. 2, requiritur ut statuatur « aetate minor, salvo iure particulari » (Card. König). Multae enim sunt ordinationes dioecesanae, in non paucis nempe dioecesibus, quae aetatem inferiorem praevident.

R. *Supprimitur n. 2: « aetate minor ». Revera si sunt membra collegii, non videtur qua de causa iure suffragandi privandi sunt. Norma potest semper in statutis inseri.*

Ad can. 174

Ex officio: *Ut maior habeatur proprietas verborum, canon ita redigitur:*

« § 1. *Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electionem acceptet necne; secus electio effectum non habet.*

§ 2. *Si electus non acceptaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptance convalescit; rursus autem eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita non-acceptatione ad novam electionem procedere debet ».*

Ad can. 181

Ad § 1

Deficit hic ut causa amissionis officii *mors* (Card. König). Can. 439 (de vacatione sedis episcopalis) mentionem facit de morte, can. 477 (de cessatione officii parochi) non facit mentionem de morte. Deficit logica in iisdem canonibus.

R. *Hic agitur de amissione et non de vacatione officii. In can. 439 sermo est de vacatione sedis. Agitur de rebus diversis.*

Ad can. 185

Notio « simoniace facta » in Codice non definitur. Ex eo potest oriri defectus claritatis et securitatis in iure (Card. König).

R. *Notio sufficienter definitur a doctrina et iurisprudentia.*

Ad can. 189

1. Hic canon compleri deberet « ...servatis quidem iuribus forte quaesitis et *aequitate canonica et naturali* » (Card. König) ut congruat cum praescriptis Decr. *Christus Dominus*.

R. *Non videtur necessarium: agitur de principio generali quod semper prae oculis haberi debet et praesupponitur. Non expedit ut hic inse-*

ratur, quia semper inseri deberet, secus exsurgerent difficultates pro interpretatione.

2. In § 1, n. 2, fiat etiam mentio de laico qui matrimonium tantum civile attentaverit (Card. König).

R. *Non videtur expedire, nam una ex parte agitur de amotione ipso facto, quae ad graviora delicta restringi debet, alia ex parte agitur de officio ecclesiastico sensu lato accepto.*

Ad can. 192

Locutio « congruo tempore » ambigua est. Intellegitur quod *intra congruum tempus* auctoritas subsistentiae clerici providere debet? aut potius quod hoc faciat *per congruum tempus*? Et insuper, *quamdiu* providere debet? (Exc. Bernardin).

R. *Ut clarius pateat, dicatur: « per congruum tempus ». Quamdiu? Prudentiae relinquitur auctoritatis.*

LIBER II DE POPULO DEI

ANIMADVERSIONES GENERALES

Nulla habetur animadversio generalis quoad normas quae in hoc libro traduntur. E contra quidam Patres (Cardd. Freeman, Rugambwa, Rosales et alii) schema explicite laudant. Quaedam tamen proponuntur animadversiones de ordinatione systematica, nempe:

1. Ordo totius Libri II sit sequens:

Pars I. « De personis in genere », quia normae « De personis physicis et iuridicis » (cann. 96-120) aptius in Libro II ponendae sunt, una cum duobus canonibus introductoriiis (201 et 202).

Pars II. « De christifidelibus laicis » (cann. 269-276).

Pars III. « De Ecclesiae constitutione hierarchica ».

Sect. I: *De Ecclesiae muneribus et de hierarchica potestate*, cum sequentibus canonibus introductoriiis:

(Can. 1) « A Christo Domino Ecclesiae eius collata sunt munera sanctificandi, docendi et regendi ».

(Can. 2) « Ex divina institutione, sacra hierarchia ratione potestatis ordinis constat episcopis, presbyteris et ministris. Ratione vero potestatis regiminis, quae etiam potestas iurisdictionis vocatur, habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti. In exercitio autem eiusdem potestatis, quatenus eodem ordine sacro non innititur, christifideles laici eam partem habere possunt quam singulis pro causis auctoritas Ecclesiae suprema ipsis concedit ».

Postea venirent cann. 127-141 « De potestate regiminis » (ex Libro I).

Sect. II: *De ministris sacris seu de clericis* (cann. 203-268).

Sect. III: *De suprema Ecclesiae auctoritate* (cann. 277-305).

Sect. IV: *De Ecclesiis particularibus deque earundem coetibus* (cann. 306-502).

Pars IV. « *De consociationibus in Ecclesia* » (cann. 503-705) (Card. Philippe).

R. *Mutationes propositae recipi non possunt, quia:*

a) *De loco canonum qui agunt de personis physicis et iuridicis in genere deque personarum physicarum statu canonico, iam ampla deliberatio habita est post consultationem (cfr. Communicationes, vol. XII, 1980, pp. 52-54). Magis placuit, propter rationes sive ecclesiologicas sive technicae iuridicae, ut istae normae generales de personarum physicarum condicione canonica deque notione et actibus personarum iuridicarum includantur in Libro I, ubi merito agitur « de normis generalibus » universum Codicem respicientibus.*

b) *Idem dicendum est quoad normas de potestate regiminis.*

c) *Relatè ad propositam enumerationem munerum quae a Christo Ecclesiae concredita sunt, iam ample providetur in aliis locis CIC, et etiam, in quantum fieri potest, per ipsam Librorum ordinationem systematicam.*

2. Mutetur ordo Titulorum Partis I. Post duos canones introductorios huius Libri « *De Populo Dei* » logice sequi deberet Titulus « *De obligationibus et iuribus christifidelium laicorum* ». Ministri enim sacri vivunt in medio totius Populi Dei (Card. Willebrands).

R. *Propositio recipi potest. Attamen prae oculis habendum est quod in initio Partis I huius Libri ponendi sunt, tanquam Titulus I, canones 8-24 LEF « De christifidelibus officiis et iuribus fundamentalibus »; postea venirent alii duo Tituli de quibus in animadversione: cfr. responsum ad animadversiones circa cann. 269-276 (« De obligationibus et iuribus christifidelium laicorum »).*

3. In Parte II, Sectione II, mutetur ordo Titulorum I et II, ita ut Titulus II sit Titulus I, quia Summus Pontificatus et Episcopatus sunt iuris divini, dum Metropolitae et Conferentiae Episcopales sunt iuris positivi ecclesiastici. Ideo magis logicum videtur loqui primo de Episcopis, deinde de istis structuris mutabilibus iuris ecclesiastici. Eo vel magis quod hodiernis temporibus Conferentiae Episcoporum saepe

auctoritatem Episcoporum plus aequo restringere nitantur (Card. Seper). In eodem sensu Exc. Stewart.

R. *Etsi verae quidem sunt sub respectu theologico rationes quae dantur, magis convenit sub respectu pratico et normativo ut ordo titularum servetur sicuti est; secus ageretur de paroeciis, de vicariis foraneis, etc. prius quam de Provinciis ecclesiasticis, de Episcoporum Conferentiis, etc.*

4. Non placet quod Sectiones « De Institutis vitae consecratae », « De Societatibus vitae apostolicae » et « De aliis christifidelium consociationibus » collectae sint sub unica superinscriptione: « Pars III: De consociationibus in Ecclesia ». Proponitur ut ex Parte III duae fiant Partes (Card. Bafile), vel duae fiant Sectiones (Card. Palazzini).

R. *Magis placet ut Pars III maneat sicuti est, quia etiam Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae sunt praeprimis consociationes in Ecclesia, et quidem consociationes publicae.*

5. Mutetur titulus Partis II « De Ecclesiae constitutione hierarchica » et constituatur novus Liber, seu Liber III, cui detur titulus « De munere Ecclesiae regendi ». Magis enim congruit ut ii omnes canones (277-502) in proprio Libro ponantur (Card. Palazzini et Carter). In eodem sensu Exc. Bernardin.

R. *Haec quaestio pluries pertractata fuit, et quidem iam in Coetu Centrali Consultorum et in III Congregatione Plenaria Commissionis (cfr. Communicationes, vol. I, 1969, pp. 109 et 111). Magis placet sub respectu pratico ut contentus Libri II non dividatur, etiam quia revera canones propositi Libri « De Ecclesiae munere regendi » (cann. 277-502) non omnia continent munus regendi respicientia, dum e contra plura alia habentur de potestate regiminis in ceteris Libris Codicis.*

PARS I

Ad can. 201

1. Non placet, quia quod essenziale videtur, nempe ut Baptismo homo in Ecclesia Christi constituatur persona cum officiis et iuribus, non dicitur « in recto ». Praeterea locutio « christifideles sunt qui, utpote

baptismo Christo incorporati, in populum Dei sunt constituti ... » videtur per se comprehendere etiam baptizatos qui Ecclesiae seu communitati ecclesiali ab Ecclesia Catholica seiunctae adscripti sunt. Melior erat textus can. 1 schematis 1977 « De Populo Dei » vel textus can. 6 schematis LEF (Cardd. Siri, Philippe, Parecatil, Bafle et Palazzini; Exc. Stewart).

R. *Textus manere potest uti est, quia*

a) *quae dicenda proponuntur iam habentur in cann. 5 et 6 LEF in Codicem nunc inserendis;*

b) *Re vera sub verbo « christifideles » theologice comprehenduntur etiam baptizati non catholici, quia ipsi baptismo Christo incorporantur et in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur (cfr. Decr. Unitatis redintegratio, n. 3). Attamen patet quod hic et in toto Codice tantummodo agitur de christifidelibus catholicis, qui nempe sunt in plena communione cum Ecclesia vinculis professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis (cfr. can. 11, § 1); ceteri christifideles legibus Ecclesiae catholicae directe non obligantur (cfr. can. 11, § 2).*

2. Dicatur « ... utpote baptismo ceteris initiationis sacramentis complendo »: cfr. can. 270 § 1 et can. 595 § 2 (Card. König).

R. *Additio proposita non videtur necessaria. Sufficit ut hic sermo tantum fiat de Baptismo (cfr. Const. dogm. Lumen gentium, n. 14).*

3. Iuxta Const. « Lumen gentium », n. 31, dicendum est in fine canonis: « ... iuridicam, pro parte sua missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent ». Ratio est quia ita melius apparet quod Ecclesia composita est a christianis, qui baptismo vocantur ad Ecclesiae servitium et missionem (Exc. Bernardin).

R. *Animadversio recipi non potest, quia textus n. 31 Const. Lumen gentium ad christifideles laicos praesertim refertur, dum can. 201 latius patere debet. Praeterea quod in ratione animadversionis dicitur in textu canonis non negatur. Cfr. etiam responsum ad 1^{am} animadversionem.*

Ad can. 202

1. Prae oculis habeatur quae de hac materia inveniantur in LEF (Cardd. Florit et König).

R. *Animadversio recipitur, eo vel magis quod canones 9-24 LEF in hac Parte I Libri II CIC ponendi videntur.*

2. Si dividantur omnes christifideles in clericos et laicos, omnes religiosi qui non sunt clerici erunt inter laicos collocandi. Proponitur ut laici ii dicuntur esse qui « vitae saecularis consortes, missionem Ecclesiae participant ... neque ordine sacro insigniti neque statui monastico vel religioso adscripti: cfr. *Lumen gentium*, n. 31, LEF, can. 27 (Card. Parecattil).

R. *Distinctio in canone proposita potior est eo quod ex divina institutione provenit et fundatur in ipsa hierarchica constitutione Ecclesiae; quapropter in iure canonico praeferenda videtur in quo frequenter agitur de participatione in muneribus Ecclesiae; ad hanc enim participationem quod attinet, omnino aequales sunt religiosi qui ordinem sacrum non receperunt et laici (« Status huiusmodi [scil religiosus] ratione habita divinae et hierarchicae Ecclesiae constitutionis, non est intermedius inter clericalem et laicalem condicionem » LG, 43).*

Codex tamen minime intendit excludere divisionem tripartitam communiter usitatam et ab ipso Concilio Vat. II admissam.

3. Dicatur in § 1: « Ex divina institutione, sunt in Ecclesia christifideles qui laici vocantur, et ministri sacri, qui in iure clerici vocantur » (Card. Willebrands).

R. *Propositio recipienda non videtur, etiam propter peculiarem praestantiam sacerdotii ministerialis eiusque missionis et sacrae potestatis (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 10, 28 et passim; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 1, 2 et passim).*

4. Dicatur, uti erat in praecedenti schemate: « Ex divina Ecclesiae institutione ... » (Exc. Bernardin).

R. *Maneat textus. Deletum est verbum « Ecclesiae » quia superfluum, et etiam ad vitandam repetitionem; dicitur enim in eadem linea: « sunt in Ecclesia ».*

Ad cann. 203-235

1. Sunt qui laudant normas hoc in titulo traditas « De clericorum institutione » (Cardd. Rosales, Rugambwa et alii).

2. Normae nimis restrictivae in genere videntur, praesertim in cann. 220-227 (Card. Marty). Agitur fere exclusive de Seminario Tridentino renovato (Card. Willebrands et Exc. Pimenta).

R. *Quae in canonibus schematis continentur plane respondent normis quae de clericorum institutione inveniuntur sive in Decretis Concilii Vaticani II Optatam totius et Presbyterorum Ordinis, sive in instructionibus applicativis Concilii a Sancta Sede datis* (cfr. praesertim « Ratio Fundamentalis Institutionis Sacerdotalis », diei 6 ianuarii 1970).

3. Specificentur in canonibus, ubi ratione materiae id opportunum videatur, normae quae sint tantum pro Seminario maiore vel pro Seminario minore (Card. König).

R. *Quod petitur iam expresse dictum est quibusdam in canonibus, et in aliis ex contextu eruitur.*

4. Titulus sit « De Seminaristarum institutione » (Exc. Pimenta).

R. *Aptior videtur titulus uti iacet.*

Ad can. 204

1. In § 1, lin. 2, dicatur « vocationum sacerdotalium » vel « vocationum ad sacerdotium ministeriale », quia vox « vocatio » est generica (cfr. Const. *Lumen gentium*, Caput V: « De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ») (Card. Rugambwa). In eodem sensu Exc. Bernardin.

R. *Patet ex contentu totius Tituli I hic agi de vocationibus ad sacerdotium ministeriale seu hierarchicum. Placet tamen ut in § 1, can. 2, hoc expresse dicatur per additionem verbi « sacri » post verbum « ministerii ».*

2. Media determinentur ad vocationes fovendas, iuxta Decr. *Optatam totius*, n. 2 (Card. Siri).

R. *Ad hoc aptius providendum est per leges particulares et instructiones.*

Ad can. 205

1. In § 1 supprimantur verba « ubi exsistunt », ne evacuetur forma (Card. Palazzini).

R. *Verba servanda videntur. Re vera non in omnibus et singulis dioecesibus Seminaria minora habentur. Hoc quidem, etsi non potest imponi, valde exoptandum est: quapropter in § 1, lin. 1, statuitur ut « foveantur ».*

2. Specificetur institutio religiosa quae iuvenibus praebenda est in Seminariis minoribus, iuxta Decr. *Optatam totius*, n. 3 (Card. Siri).

R. *Providendum est non in C.I.C. sed per instructiones Sanctae Sedis vel in singulis Institutionis sacerdotalis Rationibus* (cfr. can. 213).

3. Sequens addatur § quae habebatur in schemate praecedenti: « In Seminariis minoribus similibusque institutis, ubi exstent, si id de iudicio episcoporum Conferentiae expediat, admitti possunt iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment » (Exc. Bernardin). In eodem fere sensu Exc. Pimenta.

R. *Praedicta paragraphus suppressa est post consultationem, pluribus Episcopis petentibus, quia secus evacuetur ipsa figura Seminarii minoris. Quod proponitur modo tantum exceptionaliter fieri potest, si adiuncta id revera sinant.*

Ad can. 206

(Ex officio: *Ad uniformitatem terminologicam et conceptualem habendam, placet ut in § 2, lin. 1, huius canonis, sicut et in can. 207, 1), lin. 2, dicatur « Episcopus dioecesanus » loco « Ordinarius loci ». Ita excluduntur, nisi specialem delegationem habeant, Vicarii generales et Vicarii episcopales*).

Ad can. 207 et sequentes

Ea quae in hoc aliisque canonibus huius Tituli dicuntur de formatione doctrinali et spirituali atque de iuribus et obligationibus diaconorum permanentium nimis pauca esse videntur (Cardd. König, Willebrands et Schröffer; Exc. Bernardin).

R. *Normae magis particulares de formatione spirituali et doctrinali aspirantium ad diaconatum permanentem ab Episcoporum Conferentiis statuendae sunt* (cfr. M.P. *Sacrum Diaconatus Ordinem*, nn. 7-10 et 14), *quia etsi semper formatio solida et profunda esse debeat, quoad modalitatem ipsam praebendi diversa sunt adiuncta singulis in nationibus.*

Ad can. 208

1. Supprimantur verba § 1 « Pro regula », ne evacuetur norma (Card. Palazzini).

R. *Animadversio recipitur et ideo dicitur « In singulis ... ».*

2. Nimis extollitur in hoc canone (§ 2) sicut et in cann. 207 et 213 § 1 competentia Conferentiarum Episcopaliū (Card. Rosales).

3. Nimis extollitur in § 2 competentia Sanctae Sedis: sufficeret approbatio Conferentiae Episcopalis (Exc. Pimenta).

R. *Maneat textus. Haec competentia, sive Sanctae Sedis sive Episcoporum Conferentiae, necessaria videtur, etiam quia agitur de seminario interdioecesano.*

Ad can. 210

1. In § 1 vel melius in nova § vel in novo canone dicatur: « Superiores Seminarii, magistri ex optimis viris seligantur, pietate ac moribus excellentes, ita ut alumni exemplo sint in modo sese gerendi atque agendi ». Cfr. *Decr. Optatam totius*, n. 5; *Ratio fundamentalis*, nn. 27-31; C.I.C., can. 1360 (Cardd. Florit et Palazzini).

R. *Additio non videtur necessaria. Haec norma iam traditur in can. 224 § 1 quoad magistros seminarii: a fortiori valet pro Superioribus. Praescripta magis particularia dari possunt in singulis Institutionis sacerdotalis Rationibus* (cfr. can. 213).

2. Aptius distinguatur in § 2 inter directorem spiritualem Seminarii, qui oportet ut pro regula sit unicus, et confessarios (Cardd. Florit et Colombo).

R. *Distinctio proposita iam habetur in can. 211 § 2.*

3. Placet norma restrictiva § 2 ita ut alumni tantum adeant confessarios ab Episcopo deputatos (Card. Marty).

4. Supprimantur, ad libertatem tuendam, verba « qui ad hoc munus ab Episcopo deputati sunt » (Card. Rugambwa).

R. *Maneat textus. Oportet ut Episcopus dioecesanus certitudinem habeat de bonis qualitatibus, praesertim quoad doctrinam, pietatem et mores, horum confessoriorum.*

5. In § 3 excludatur ut participatio alumnorum extendatur casibus qui personas in genere vel condiscipulos respiciant (Card. Colombo).

R. *Maneat textus. Norma quae proponitur magis pertinet, etsi per se patet, ad Ordinationem de qua in can. 214.*

6. Inserantur normae quae in can. 89, § 3 praecedentis schematis habebantur de coetibus deputatorum pro iis quae vitam Seminarii internam atque bonorum temporalium administrationem respiciunt (Exc. Bernardin).

R. *Propositio recipi non potest: textus huius § 3 contractus est post consultationem, ceteris relictis ad Seminarii statuta et quidem iuxta Institutionis sacerdotalis Rationem, de qua in can. 213.*

Ad can. 211

1. Addantur in § 1, lin. 2, verba « et ipsi ab Episcopo designandi » (Card. Colombo).

R. *Iam providetur in can. 210 § 2.*

2. Tollatur in § 1 verbum « semper », ne praeiudicium afferatur disciplinae Seminarii (Card. Bafle).

R. *Servandum videtur verbum. Abusibus iam sufficienter caveatur cum clausula « salva quidem Seminarii disciplina ».*

Ad can. 212

1. In § 1, lin. 2, dicatur « ii qui » loco « iuvenes qui », ne excludantur vocationes adultae (Cardd. Hume, Freeman et Carter; Excc. Bernardin et O'Connell).

R. *Animadversio recipitur, et ideo dicitur: « tantummodo ii qui ... ».*

2. Attento Decr. « Optatam totius », n. 6, sequentia addantur verba in § 1: « ... voluntate, *consideratis quoque dispositionibus a familia forsan transmissis* ... » (Card. Siri).

3. Prudentiae causa, in fine § 3 addantur verba: « et ad admissionem ne deveniatur nisi post cautissimum examen casus, imposita, si res ferat, congrua periodo probationis » (Card. Colombo); et inserantur sequentia verba praecedentis schematis: « quas notitias Superiores rogati, secundum veritatem, suppeditare debent » (Exc. Bernardin).

R. *Additiones propositae non videntur necessariae in CIC. De iis aliisque normis magis particularibus providendum est in Ratione Institutionis sacerdotalis (cfr. can. 213).*

Ad can. 213

1. Dicatur in initio § 1: « In singulis regionibus ecclesiasticis » vel « In territorio uniuscuiusque Episcoporum Conferentiae »: ex locutione enim « in singulis nationibus » difficultates oriri possunt, etiam quia non semper patet quoddam territorium revera nationem constituat (Card. Hume et Freeman; Exc. O'Connell).

R. *Omnibus perpensis, magis placet ut textus maneat sicuti iacet, etiam quia de facto ita fere semper evenit. Agitur enim de casu generaliore.*

2. Dicatur in § 1: « haberi potest » loco « habeatur », ne obligatorie imponatur Conferentiae Episcopali labor nimis onerosus. Quandoque sufficient parvae aptationes (Card. Rugambwa).

R. *Maneat textus uti est, ne evacuetur norma. Nihil impedit ut Conferentia Episcopalis simpliciter adoptet Rationem fundamentalem institutionis parvis cum additionibus, vel Rationem institutionis in alia Natione apparata, cum opportunis aptationibus. Quod interest est ut propria Ratio habeatur et vigeat in singulis nationibus.*

3. Dicatur in § 2: « ... tum interdioecesanis universae regionis », ut cohaerentia habeatur cum can. 208, § 2 (Card. Jubany).

R. *Animadversio recipitur iuxta modum, nempe delentur verba « regionis, vel provinciae ecclesiasticae pro qua statuuntur ».*

Ad can. 216

1. Ita compleatur textus: « ... in fide viva, in abnegatione sui semper ... » (§ 1); « ... tamquam fidi (id est, loco fidei) cooperatores oboedienter adhaereant »: cfr. Decr. « Optatam totius », n. 9 (Card. Florit).

R. Dicitur quidem « fidi » (§ 2, lin. 3), quia verbum « fidei » erat mendum typographicum. Cetera non adduntur quia in CIC non videntur necessaria: poni utique possunt in Ratione Institutionis de qua sub can. 213.

Ad can. 217

1. Ita compleatur textus § 1: « celebratio eucharistica cotidiana centrum sit totius vitae Seminarii, ita ut alumni, praesertim sacramentali communione ipsam Christi caritatem participantes ... hauriant. Discant iidem Dominum Iesum in Eucharistia sacramentaliter praesentem saepe visitare et adorare »: cfr. « Ratio fundamentalis », nn. 52 et 54, d (Cardd. Florit et Marty). In § 2 mentio fiat de mariano Rosario et in § 4 de confessione hebdomadaria (Card. Siri).

R. Etsi additiones propositae pulchrae revera sint, non videntur ponendae in CIC, attenta sobrietate quae textus iuridici est propria. Praeterea iam in § 1 dicitur « cotidie ». Quoad cetera quae proponuntur providendum est per Rationem Institutionis de qua in can. 213, vel per Ordinationem seminarii de qua in can. 214.

2. Uniformis adhibeatur terminologia in § 4: vel « moderator vitae spiritualis », vel « spiritus director » (can. 210, § 2) (Card. Colombo). Praeterea ita emendetur textus: « ... et (...) unusquisque habeat moderatorem suae vitae spiritualis (...), cui confidenter conscientiam suam aperire possit ». Verba « libere quidem electum » deleantur quia iam provisum est sub can. 210, § 2 (Cardd. Colombo et Bafle). In initio eiusdem § 4 addatur: « Ad sacramentum Paenitentiae frequenter accedere et cotidie conscientiam suam discutere assuescant alumni ... » (Card. Florit).

R. Textus maneat sicuti est, quia:

a) « spiritus director », de quo in can. 210 § 2 et « moderator vitae spiritualis », de quo § 4 can. 217, sunt figurae iuridicae distinctae;

b) verba « libere quidem electum » oportet ut servantur, etsi revera haec idea iam habeatur in can. 210; non nocet ut ita sublineetur libertas eligendi proprium confessarium;

c) additio proposita in initio § 4 est res nimis particularis, quae pertinet ad Rationem Institutionis (can. 213) vel ad Ordinationem seminarii (can. 214).

Ad can. 218

1. In § 2 addantur verba « ... ut peculiare Dei donum, cui generose respondendum est, in honore ... », iuxta Decr. « Optatam totius », n. 10 (Card. Florit).

R. Verba quae addenda proponuntur non videntur necessaria, etenim per verbum « servandum » iam subintelligitur idea « cui generose respondendum est ».

2. Addatur, ad mentem Decr. « Optatam totius », n. 6; nova §: « Vigilanti cura, paterna caritate et debita animi firmitate — etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria — expendant superiores, in universa selectione et probatione, candidatorum rectam intentionem, liberam voluntatem et idoneitatem ad onera sacerdotalia et officia pastoralia exercenda » (Card. Florit).

R. Iam provisum in can. 983, de promotione ad Sacros Ordines.

3. Ne coelibatus sacerdotalis, qui est peculiare donum divinum et signum totalis amoris erga Christum eiusque Ecclesiam, appareat uti « unum ex oneribus quae ministris sacris propria sunt », § 2 fiat § 1 vel novus canon (Exc. Henríquez).

R. Animadversio recipitur iuxta modum, nempe:

a) ordo paragraphorum invertitur, ita ut de peculiari dono coelibatus sacerdotalis sermo fiat antequam de officiis et oneribus sacrorum ministrorum;

b) in fine § 1 can. 250 sequentia adduntur verba: « ... quod est peculiare Dei donum, quo quidem sacri ministri indiviso corde Christo facilius adhaerere possunt atque Dei hominumque servitio liberiori sese dedicare valent ».

Ad can. 219

Addantur verba, iuxta Decr. *Optatam totius*, n. 16: « Institutio doctrinalis *S. Thoma magistro tradenda ...* » (Card. Rosales).

R. *Provisum est per additionem factam in § 3 can. 223: vid. infra.*

Ad can. 222

1. Addatur expressa mentio doctrinae S. Thomae Aquinatis, iuxta praescripta Concilii Vaticani II (Cardd. Siri, Rugambwa et Palazzini).

R. *Providetur in can. 223.*

2. Hic aliove loco dicatur ut magistri Seminarii, antequam munus docendi incipiant, *professionem fidei* coram Episcopo vel alia competenti auctoritate emittant, uti requiritur ab aliis de quibus in can. 788, n. 7 (Card. Palazzini).

R. *Iam provisum in can. 788, n. 6.*

Ad can. 223

1. Aptius dicatur in § 2 ad vitandam tautologiam: « ... ita ut *decursus Revelationis et totius historiae salutis* conspectum acquirant » (Card. Florit).

R. *Magis placet claritatis causa ut textus maneat uti est.* (Ex officio: in § 1, lin. 3, dicitur « cognoscant » loco « percognoscant »).

2) Dicatur in § 3, iuxta doctrinam ipsaque verba Concilii: « Lectiones habeantur theologiae dogmaticae ... semper innixae, *in quibus alumni mysteria salutis, ope speculationis, S. Thoma praesertim magistro, intimius penetrare addiscant ...* » (Cardd. Florit et Philippe).

R. *Propositio recipitur iuxta modum, etiam quia iam Summus Pontifex sententiam hac de re protulit, per Litteras N. 56190 Secretariae Status, die 22 decembris 1980 datas. Textus ergo § 3 ita completur: « ... innixae, in quibus alumni mysteria salutis, S. Thoma praesertim magistro, intimius penetrare addiscant, itemque ... ».*

3. Addatur in § 3: « cantus et musicae sacrae » (Card. Florit). In ipsa §, post verba « atque socialium » dicatur: « secundum sana prin-

cipia philosophiae thomisticae et catholicae scientiae socialis », ut excludantur errores philosophiae materialisticae (Card. Wyszyński).

R. Additiones propositae recipiendae non videntur, quia sunt res nimis particulares, de quibus aptius providendum est in singulis Rationibus Institutionis sacerdotalis (cfr. can. 213).

4. Locus in quo posita est scientia liturgica non est idem ac in Ratione fundamentali institutionis sacerdotalis, art. 79, in qua liturgia invenitur inter Sacram Scripturam et theologiam dogmaticam (Card. Willebrands).

R. Maneat textus uti iacet, quia sub respectu iuridico parum interest ordo quo variae disciplinae enumerantur.

Ad can. 224

Loco « ii tantum nominentur » dicatur, ad lauream doctoralem vel licentiam quod attinet, « ii praeferantur ». Ita norma, uti in CIC 1917 (cfr. can. 1366 § 1) magis congrueret cum adiunctis quarundam nationum (Cardd. Raafimahatratra et Bafle; Exc. Bernardin).

R. Maneat textus uti iacet. Agitur enim de re ita momentosa ut seria magistrorum formatio requiratur oporteat. Exceptiones haberi possunt vi dispensationis.

Ad can. 227

1. Non bene intelligitur quid significet locutio « in cultu divino prae aliis sacramentis celebrandis » (Card. Rugambwa).

R. Animadversio recipitur. Loco « prae aliis » dicitur « praesertim in ».

2. Deleantur verba « socialibus quoque » quae minus recte intellegi possunt, nisi clarificentur cum aliqua additione ad mentem Const. *Gaudium et Spes*, n. 43 (Card. Rosales).

R. Maneant verba, quae quidem recte intellegi semper debent. Clarificatio patet, sed non videtur necessarium ut expresse in textu iuridico fiat, nam potius pertinet ad doctrinam.

Ad can. 228

Deleantur verba « atque paratos se exhibeant ... devoveant », quia prima obligatio alumnorum est servitium Ecclesiae pro qua instituuntur (Card. Bafle).

R. *Maneat textus uti iacet. Sunt verba* Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

Ad can. 235

1. Quia « impositio tributi » est « res odiosa » et conflictus oriri possunt, melius dicatur positivo modo, nempe sub forma « collectae pro Seminario » ab Ordinario loci praecipienda omnibus ecclesiis et oratoriis, uti generice statuitur in can. 1217 (Card. Rosales).

R. *Maneat norma uti iacet quia agitur de tributo peculiari habitualiter admissio.*

2. Inseratur norma praecedentis schematis, iuxta quam huiusmodi tributa praescriptis Conferentiae Episcopalis regulari debent (Exc. Bernardin).

R. *Propositio recipi non potest, quia interventus Episcoporum Conferentiae suppressus est post consultationem, pluribus attentis petitionibus.*

Ad can. 237

1. Hic ceterique canones de incardinatione placent, quia recte applicant praescripta Concilii de hac materia (Card. Rosales).

2. Non placet, quia nocumentum afferret unitati pastoralis dioecesis, ut facultate incardinandi donentur Societates clericales de quibus in can. 691. Hoc fiat tantum per privilegium (Card. Colombo).

R. *Animadversio potius pertinet ad can. 691: vid. infra.*

3. Addatur in § 3, ut salva maneat auctoritas Ordinarii loci: « ... pro cuius servitio promotus est, praevio consensu Ordinarii loci, nisi ... » (Card. Jubany).

R. *Additio non videtur necessaria, quia quod petitur subintelligitur: est quidem ipse Episcopus dioecesanus qui incardinat.*

Ad can. 238

(Ex officio: In § 1 huius canonis et etiam in cann. 239 § 1, 240 et 242, « *Ordinarius loci* » dicitur « *Episcopus dioecesanus* », quia oportet ut ipsi reserventur decisiones in materia tam momentosa. Consequenter in can. 243 supprimuntur verba « *Vicarius generalis vel Vicarius episcopalis sine mandato speciali; nec* »).

Ad can. 239

Dicatur in § 2, lin. 1, claritatis causa: « Per admissionem perpetuam aut definitivam in Instituto ... » (Card. Pironio).

R. *Animadversio recipitur, et ideo dicitur: « ... perpetuam aut definitivam in ... ».*

Ad cann. 244-264

1. Melius videtur monitiones et praecepta pro vita clericorum in Statutis specialibus extra Codicem ponere (Card. Willebrands).

R. *Animadversio recipi non potest. Valde incompletus Codex remaneret sine tam momentoso capite, in quo sacrorum ministrorum iura et obligationes statuuntur. Praeterea quae in hoc capite traduntur non sunt simplices commendationes, sed normae iuridice vinculares et quidem validae pro universa Ecclesia.*

2. Loco « de obligationibus et iuribus » dicatur « de iuribus et obligationibus », quia est locutio traditionalis (cfr. Codex a. 1917) et melius fundata in ipsa constitutione sacramentali Ecclesiae (Exc. Bernardin).

R. *Potest recipi, sed non videtur necessarium: re vera ex sacramentis profluunt sive iura sive obligationes.*

Ad can. 241

1. Supprimatur canon, quia periculosus pro disciplina ecclesiastica (Card. Siri).

R. *Canon potest servari, quia ratio animadversionis non videtur sustineri.*

2. Exponatur quomodo huiusmodi recursus fieri debeat (Exc. Bernardin).

R. *Additio proposita necessaria non apparet, quia iam habentur normae in Libro VII « De processibus ».*

Ad can. 242

Canon respiciat etiam munera nationalia et regionalia necnon munus professoris in Instituto catholico (Exc. Coffy).

R. *Canon iam complectitur hos casus.*

Ad can. 245

Addantur verba, iuxta can. 128 vigentis Codicis: « ... commissum fuerit propter necessitatem Ecclesiae suscipere ... » (Exc. Bernardin).

R. *Additio non videtur necessaria, quia id semper subintelligitur.*

Ad can. 246

Quaeritur an diaconi permanentes lege residentiae teneantur (Exc. Bernardin).

R. *Affirmative.*

Ad can. 247

Expungatur canon vel eius loco ponatur can. 127 praesentis C.I.C. Norma enim schematis videtur innixa in sententia theologica iuxta quam Romanus Pontifex est Episcopus Ecclesiae universalis (Card. Marty).

R. *Maneat textus. Clerici hac speciali reverentia et oboedientia tenentur non tantum erga suum quemque Ordinarium, sed etiam erga Summum Pontificem, Petri Successorem, qui quidem est Ordinarius pro universa Ecclesia (cfr. can. 131).*

Ad can. 249

1. In § emendetur textus: « ... novo titulo consecrati Christoque intimius configurati, dispensatores » (Card. Florit).

R. *Iam sufficienter providetur in can. 961, ubi de sacramento Ordinis sermo fit.*

2. In § 2, 3 ita emendetur textus: « ... diaconi permanentes *persolvant ...* », ad mentem M. P. « Sacrum Diaconatus ordinem », n. 25 (Card. Florit).

R. *Animadversio recipitur, ideoque in § 3, n. 3, lin. 4 delentur verba « invitantur ut ».*

3. In § 2, 5; compleatur textus, ut ipse magis congruat non tantum cum can. 125 C.I.C., sed etiam cum Decr. « Presbyterorum Ordinis », n. 18 et cum M. P. « Sacrum Diaconatus ordinem », n. 26: « Orationi mentali regulariter incumbant, *adorationi eucharisticae saepe vacent, frequenter ad Paenitentiae sacramentum accedant, cotidie conscientiam suam discutiant ...* ». Ita quoque dum necessitas alendi vitam interiorem in mentem clericorum revocatur, quod praesertim hodiernis adiunctis magni esset momenti, tolleretur in initio verbum « sollicitantur » quod timidam exhortationem sapit (Cardd. Florit et Rugambwa). In eodem sensu Card. Siri, qui postulat ut canon incipiat per § 2, magis determinantur praxes pietatis et dicatur « exercitia spiritualia » loco « recessus spirituales ».

R. *Maneat textus uti iacet, quia videtur sobrius et substantialiter completus. Aliae normae magis particulares ab Episcoporum Conferentia statui possunt. Consulto dicitur praeterea « recessus spirituales », quae expressio complectitur etiam diem recessus singulis mensibus laudabiliter peragendam.*

Ad can. 250

1. Dicatur quod violatio perfectae continentiae de qua in § 1 secumfert peccatum sacrilegii (Card. Siri).

R. *Hoc verum est, sed pertinet ad theologiam moralem.*

2. Norma quae datur in § 2, — quae conectitur cum can. 1040, § 2 —, est contraria sive M. P. « Sacrum Diaconatus ordinem », n. 16, sive traditioni totius Ecclesiae Orientalis (catholicae et orthodoxae). Nisi restituatur norma praecedentis schematis 1977 (« qui tamen et ipsi, amissa uxore, ad coelibatum servandum tenentur »), optandum es-

set ut de re specifica votatio habeatur Patrum Pontificiae Commissionis (Card. Florit; Exc. Henríquez).

R. *Quaestio in animadversione posita defertur ad Congregationem Plenariam. Consultores autem censent, sicuti Consultores Coetus « De matrimonio », textum huius § 2 manere posse.*

Ad can. 251

1. Ne omnia supposita in materia, etiam quae § 1 respiciunt, videantur comprehendi sub clausula « audito Consilio presbyterali », ita prudenter emendetur textus § 2: « Competit Episcopo dioecetano ut de servata hac obligatione in casibus particularibus iudicium ferat, prae oculis habitis normis magis determinatis a seipso, audito Consilio presbyterali, hac de re statutis » (Card. Florit).

R. *Animadversio recipitur iuxta modum, nempe deletis verbis § 2 « audito Consilio presbyterali », quia:*

a) *agitur de exercitio potestatis legislativae Episcopi dioecetani, et in materia quidem valde delicata, circa quam facile evenire potest quod Episcopo adiuncta et facta innotescant quae membra Consilii presbyteralis nesciunt, nec Ordinarius cum ipsis communicare possit ob rationes iustitiae vel prudentiae;*

b) *nihil impedit quominus Episcopus, si quibusdam in casibus res diverse se habeant, sententiam Consilii presbyteralis exquirat, modo quem ipse Ordinarius prudentiorem censeat.*

2. Deleatur § 2, quia difficile erit pro Episcopo dioecetano has normas magis determinatas statuere (Exc. Bernardin).

R. *Maneat § 2. Hae normae magis determinatae et particulares in lege generali tradi non possunt; ergo Episcopus dioecetanus ipsas statuere debet.*

Ad can. 252

1. Norma § 1 nimis ampla videtur: esset ponenda aliqua clausula restrictiva, ut vitentur associationes (sic dicta « Syndicata ») ad honestam sustentationem aliaque iura vindicanda adversus hierarchiam (Exc. Henríquez).

R. *Animadversio recipi non potest, quia:*

a) *oportet ut ius naturale associationis, quod Ecclesia semper agnovit etiam clericis quodque Conc. Vat. II explicite enuntiavit (cfr. Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 8 § 3 et Responsio competentis Commissionis conciliaris ad modum 129 schematis: Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II, vol. IV, pars. VII, p. 168) in canone quoque recipiatur;*

b) *per verba § 1 « ad fines statui clericali congruentes » atque per normam in § 3 statutam iam sufficienter significantur restrictiones legitimae quae haberi possunt ac debent in exercitio istius iuris; et quidem non tantum illae quae in animadversione explicite dicuntur, sed etiam aliae similes.*

2. Norma § 3 ita compleatur: « ... quarum finis aut actio cum sua peculiari spiritualitate, in sacramento ordinis et in missione ab Ecclesia recepta fundata, vel cum obligationibus ... » (Card. Colombo).

R. *Animadversio non recipitur, quia:*

a) *sufficere videntur quae in canone dicuntur;*

b) *non facile enucleari ac exponi possunt elementa quae sub verbis « sua peculiari spiritualitate » venire debeant;*

c) *sunt associationes (ex gr. « Tertii Ordines ») quae « in sacramento ordinis » non fundantur et tamen non potest clericis saecularibus vetari ut huiusmodi consociationibus nomen dent.*

3. Dicatur in § 1 « dioecesanis » loco « saecularibus » (Exc. O'Connell).

R. *Maneat verbum, claritatis causa quia etiam religiosi aliquo modo sunt dioecesani.*

4. Addantur verba: « ... Episcopo, cuius praesertim presbyteri vigore sacrae ordinationis collaboratores sunt, unioni favent » (Card. Willebrands).

R. *Additio proposita non videtur necessaria, quia haec idea iam aliis in canonibus traditur.*

Ad can. 253

In § 2 addatur: « praelectiones pastorales et *communitates vitae* post ordinationem ... »: cfr. can. 254 (Card. Wyszyński).

R. *Animadversio non bene intelligitur; de hac re* (cfr. normam in can. 254 statutam).

Ad can. 254

(Ex officio: *supprimuntur verba « vitae consortium, immo et », ideoque dicitur « quaedam vitae communis consuetudo ».* Hoc sufficit ut canon respondeat normis Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 8 § 2, *vitata tamen expressione « vitae consortium », quae nunc minus congrua videretur: cfr. can. 1008 § 1, 1050 § 1).*

Ad can. 255

1. Ita incipiat § 1, iuxta Decr. « Presbyterorum Ordinis », n. 20: « *Servitio Dei dediti in implendo officio sibi commisso, clerici aequam remunerationem ...* », quia fundamentalis ratio remunerationis in servitio Dei et Ecclesiae consistit (Exc. Bernardin).

R. *Additio non videtur necessaria, quia sufficiunt verba canonis « ministerio ecclesiastico » et quia non omnes legis rationes in eadem exprimi debent.*

2. Ita incipiat § 2: « *Iure gaudent ...* », quia in § 1 dicitur « remunerationem merentur suae conditioni congruam », dum pro laicis statuitur in can. 276: « *ius habent ad honestam remunerationem suae conditioni congruam* » (Card. König).

R. *Textus canonis videtur sufficiens ad ipsum ius statuendum, vitatis simul locutionibus quae ministerium sacerdotale — quod latius patet quam « officium » vel « munus » — ponerent in quodam contextu oeconomico minus proprio.*

3. Locutio § 3 « *ex perceptis prae aliis inde redditibus* » non videtur clara (Card. Florit).

R. *Textus manere potest uti iacet. Sub respectu iuridico expressio videtur clara.*

Ad can. 256

In § 2 mentio fiat de obligatione testandi (Card. Florit).

R. *Propositio non recipitur, quia adiuncta sunt diversa in variis orbis regionibus, et norma imponi non potest iure universali. Ius particulare provideat.*

Ad can. 257

1. Addantur verba: « ... feriarum tempore *decenti* loco et modo ... » (Card. Wyszyński).

R. *Quod addendum proponitur eruitur ex ipsis exigentiis condicionis sacri ministri. Ergo maneat textus uti est.*

2. Deleatur verbum « universali » (Card. Colombo).

R. *Animadversio recipi non potest. Oportet enim ut duae statutae possibilitates habeantur, etiam attenda officiorum ecclesiasticorum diversitate. Sunt ex. gr. quaedam officia residentialia pro quibus norma in materia dari debet iure universali.*

Ad can. 260

1. Quoad § 2: quid si officium publicum sit indolis nationalis? A quo Ordinario est petenda venia? Ideo dicatur: « ... tum Ordinarii loci in quo electio facienda est » (Exc. Bernardin).

R. *Melius videtur formula canonis, etiam quia formula proposita non solvit difficultates.*

2. Addantur verba in § 2: « ... civilis potestatis *cum legislativae tum administrativae et iudicialis* ... » (Card. Siri).

R. *Additio non videtur necessaria, quia subintelligitur.*

3. In § 3 supprimantur verba « a fideiubendo ... abstineant », vel saltem licentia Ordinarii pro iis casibus substituatur per simplicem exhortationem (Exc. Bernardin).

R. *Maneat textus, prudentiae causa.*

Ad can. 262

1. Addantur verba in § 1: « ... neve igitur intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant » (Card. Siri).

R. *Additio non videtur necessaria, quia subintelligitur.*

2. Deleantur in § 2 verba « in regendis », ut norma latius pateat et quia iam in ipsa § 2 legitimae exceptiones praevidentur (Card. Florit).

R. *Aptius videtur ut textus maneat uti est, quia factiones politicae et consociationes syndicales sunt res diversae.*

Ad can. 263

1. Deleatur canon, quia norma incongrua videtur. Diaconi, etiam permanentes, sunt clerici ideoque in Hierarchia Ecclesiae constituti eamque coram fidelibus repraesentant. Saltem ita emendetur textus: « Diaconi permanentes etiam tenentur praescriptis canonum 259, 260, 261, 262, nisi legitima auctoritas Ecclesiae in casu concreto aliud retinuerit » (Exc. Henríquez).

2. Vel, si dicatur « non tenentur », addantur prudentiae causa verba: « mandatis tamen Ordinarii proprii stent » (Card. Freeman et Exc. O'Connell); vel « nisi vero Ordinarius attentis circumstantiis uniuscuiusque aliud praecipiat » (Card. König).

3. Supprimatur mentio cann. 260 et 262, § 2, quia:

a) relate ad can. 262, § 2, non expedit ut clerici activam in factionibus politicis atque in regendis consociationibus syndicalibus partem habeant (Cardd. Colombo et Rugambwa).

R. *Omnibus perpensis, et attenta adiunctorum diversitate, animadversiones recipiuntur iuxta modum, nempe per additionem sequentis clausulae in fine canonis: « nisi ius particulare aliud statuatur ».*

Ad can. 264

1. Dicatur in § 1: « nisi tum Ordinarii proprii tum Ordinarii loci licentia », sicut factum est in can. 260 § 2 ut comprehendantur quoque clerici religiosi (Card. Florit).

R. *Animadversio non recipitur, quia hoc in casu sufficit Ordinarii proprii licentia.*

2. Quaeritur an diaconi permanentes norma § 1 teneantur (Exc. Bernardin).

R. *Affirmative: cfr. can. 263.*

Ad can. 265

Deleantur verba « ad instantiam ipsius clerici », quia oportet praevidere quoque casus reductionis ad statum laicalem « propter indignitatem » ipsius clerici (Exc. Henríquez). In eodem sensu Exc. Bernardin.

R. *Recipitur animadversio, quia rescriptum est responsum auctoritatis competentis « ad petitionem alicuius » (can. 59), et « impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum » (can. 61). Attamen standum est normis S. Congr. pro Doctrina Fidei quoad dimissionem a statu clericali « ex officio ».*

Ad can. 267

1. Addantur verba: « ...dignitates ecclesiasticas necnon missionem canonicam ad theologicas disciplinas docendas », ne clericus, Sacrae Theologiae professor, qui statum clericalem amiserit, praetendat munere docendi ulterius fungi (Card. Bafile). In eodem sensu Card. Höffner.

R. *Animadversio recipitur iuxta modum, additis in lin. 2 verbis « ...propria, missionem canonicam, munera et officia ... ». Ita comprehenduntur omnia supposita de quibus in animadversione sermo est.*

2. Agatur etiam de iuribus et obligationibus quae propria sunt presbyteri vel diaconi ad statum laicalem reducti (Exc. Bernardin).

R. *« Reductio » est terminologia quae iam non adhibetur. Additiones propositae non videntur necessariae.*

Ad cann. 269-276

Ob suppressionem Capitis « De omnium christifidelium obligationibus et iuribus » materia his in canonibus exposita circa obligationes

et iura christifidelium laicorum videtur pauper minorisque momenti (Cardd. Suenens et Carter; Exc. Pimenta). Quaedam praesertim videntur addenda de eorum formatione — sicut fit pro christifidelibus clericis — et de eorum specifica vocatione. Titulus praeterea ita sonet: « De christifidelibus laicis » (Exc. Bernardin).

R. *Cum quaestio de Lege Ecclesiae Fundamentalī procrastinata sit, omnium christifidelium iura et obligationes, de quibus in cann. 9-24 LEF, nunc in Libro II C.I.C. includi possunt. Hoc tamen aptius fit in initio Partis I, et quidem uti Titulus I: cfr. responsum ad 2^{am} animadversionem generalem quoad ordinationem systematicam huius Libri « De Populo Dei ».*

Ad can. 270

1. Addantur verba in § 1: « ...consociationibus coniuncti suum multiplicem apostolatū tam in Ecclesia quam in mundo exercendi, ita ut ... », ad mentem Decr. Apostolicam actuositatem, n. 9 (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Animadversio non recipitur quia proposita additio non videtur necessaria.*

2. In § 1 deleantur verba « quae obligatio ... homines possunt », ne functio laicorum in Ecclesia videatur secundaria. Eadem consideratio fieri potest quoad can. 272 (Exc. Bernardin).

R. *Non videtur necessarium. Textus canonis ita intelligendus est, ut, in iis quae praesertim ad clericos spectant, laicorum functio sit solummodo subsidiaria. In Codice clare apparet laicos plene participare Ecclesiae missionem salvificam.*

(Ex officio: Supprimuntur verba « i.e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae », quia:

- a) *necessarium non apparet ut tam extense ratio legis exponatur;*
- b) *de participatione laicorum in missione salvifica Ecclesiae, iam sermo est pluribus in locis, sive in canonibus generalibus de christifidelibus (cfr. can. 201 et passim), sive in aliis (cfr. cann. 714, 729 § 1, 736, etc.).*

Ad can. 271

Aptius dicatur, suppressis verbis « autem » et « aptis legibus et actione pastoralis » quae minus convenientia apparent: « ... populi Dei adlaborandi; Ecclesiae pastorum est coniuges et familias tueri et adiu-
vare » (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia oportet ut specificentur media quibus familiis christianis iuvamen afferri potest ac debet ex parte sacrorum Pastorum.*

Ad can. 273

1. Ita incipiat § 1: « *Ratione baptismi sui, habiles ...* » (Exc. Bernardin).

R. *Iam dicitur in can. 270 § 1.*

2. Addatur nova § 2 huius tenoris:

« § 2. Pastores peculiari sollicitudine laicos prosequantur, quos tanquam adiutores et consiliarios libenter audiant, eorum iura tuteantur et curent ut ipsis praesto sint quibus ad vitam spiritualem fovendam egent media et institutiones ». Oportet enim ut clerici noscant suas obligationes relate ad praedicta iura laicorum (Card. Freeman).

R. *Iam sufficienter providetur in can. 12 LEF qui in Codicem inserendus est et etiam in § 2 ipsius can. 273.*

Ad can. 274

Textus § 3 ita emendetur: « Item servatis praescriptis quoad idoneitatem, praesertim ad candidatos ad sacerdotium efformandos requisitam statutis ... », quia non omnes viri laici in sua disciplina bene docti sunt apti ad candidatos ad sacerdotium efformandos (Card. Bafle).

R. *Additio proposita necessaria non videtur. Sufficit clausula « servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam », quae quidem applicanda est singulis in casibus et adiunctis, sive personarum sive institutionum.*

Ad can. 275

1. In § 1 deleantur verba « Viri » et « stabiliter » (Exc. Coffy).

R. *Animadversio recipi non potest, quia in hac § agitur de collatione ministeriorum lectoris et acolythi, quae viris reservatur (M.P. Ministeria quaedam, n. VII), et quidem ministeria, ex ipsa natura sua, stabiliter conferuntur. De deputatione temporanea vel ad casum agitur in §§ 2-3 huius canonis.*

2. Dicatur, in § 2, ultima linea, loco verbi « fungatur »: « fungi sub regimine rectoris ecclesiae possint » (Card. Bafile).

R. *Additio proposita non videtur necessaria.*

3. Dicatur in § 3, ad praecavendas arbitrarias interpretationes: « ... ministerium verbi extra Missam » (Card. Bafile).

R. *Iam provisum est in can. 722 § 1, ubi statuitur homiliam, quae est pars ipsius liturgiae, sacerdoti aut diacono reservatam esse.*

4. Suntne acolythi et lectores adnumerandi inter laicos de quibus in can. 276? (Card. Willebrands).

R. *Minime (cfr. resp. ad animad. n. 2 can 276).*

5. In §§ 2-3 dicatur « laicos habiles esse » potius quam « laicos posse » et requiratur semper aliqua deputatio, ut rectus ordo servetur (Exc. Stewart). Contra Exc. Coffy, qui vult ut in § 2 deleantur verba « ex temporanea deputatione ».

R. *Non videtur necessarium mutare textum harum §§; quia expressa deputatio requiritur in § 2 pro munere lectoris (non autem pro munere commentatoris neque pro munere cantoris); et deputatio a iure vel ab homine requiritur etiam in § 3 sub formula « iuxta iuris praescripta », id est quatenus singulis in casibus necessaria sit.*

6. In § 3 addantur verba « consentiente legitima auctoritate » (Card. Siri).

R. *Additio non videtur necessaria, quia satis providetur per verba « iuxta iuris praescripta », quod ius potest etiam esse particulare.*

7. In § 3 addatur: « ... distribuere, exsequiis praeesse et quaedam sacramentalia administrare, iuxta iuris praescripta » (Exc. Coffy).

R. *Additio non videtur necessaria, ne textus canonis nimis oneretur. De his enim laicorum possibilitatibus iam satis alibi agitur: quoad exsequias (cfr. « Ordo exsequiarum », n. 19 § 2; de sacramentalibus vero, cfr. can. 1122).*

(Ex officio: *Claritatis causa textus § 3 ita emendatur in initio: « Ubi Ecclesiae necessitas id suadeat, deficientibus ministris, possunt etiam laici, etsi non sint lectores vel acolythi, quaedam ... ».*

Ad can. 276

1. Dicatur in initio canonis: « Excepto casu voluntariae praestationis operis ex parte fidelium ... », ut aperta maneat possibilitas praestationum gratuitarum (Card. Bafle).

R. *Additio proposita non videtur necessaria, quia unusquisque quidem iuri suo renunciare potest.*

2. Ultimis quattuor lineis canonis substituantur verba sequentia: « servatis quoque iuris civilis praescriptis, itemque, si de personis *pleno tempore* Ecclesiae servitio addictis agatur, ius ut suae praevidentiae et praecaventiae sociali et assistentiae sanitariae pro se et propria familia secundum criteria a Conferentia Episcopali statuenda prospiciatur ». Ratio est ut plenitudo praevidentiae socialis et assistentiae sanitariae circumscripta maneat in ambitu personarum, quae *pleno tempore* servitio Ecclesiae addictae sunt (Card. Bafle).

R. *Attenta hac animadversione et etiam tertia animadversione ad can. 275, placet ut textus canonis ita in duas paragraphos dividatur:*

« § 1. *Laici qui permanenter aut pro tempore speciali Ecclesiae servitio addicuntur ... impense et diligenter adimpleant.*

§ 2. *Firmo praescripto can. 275 § 1, iidem ius habent ad honestam remunerationem ... debite prospiciatur ».*

Pars II – Sectio I

Titulus simpliciter sit « De Suprema Ecclesiae auctoritate », demptis verbis superfluis « eiusque exercitio » (Card. Philippe).

R. *Consultores censent quod, non obstante animadversione facta,*

verba « eiusque exercitio » manere possunt in titulo. Verum est non omnes normas quae exercitium Supremae Auctoritatis exprimunt in canonibus huius Sectionis contineri, quia aliae quoque inveniuntur, ratione specificae materiae, in ceteris Libris Codicis. Attamen quae in canonibus huius Sectionis posita sunt praecipua et generalia praescripta respiciunt, non tantum de natura et structura Supremae Auctoritatis, sed etiam de eius exercitio. Quod praeterea evidentius apparet post additionem praescriptorum de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum, quae antea habebantur in schemate LEF.

Ad can. 277

Textus in schemate C.I.C. propositus uti est non videtur sustineri, quia intelligi potest ac si in Ecclesia diarchia habeatur. Ideoque vel compleatur textus iuxta Const. *Lumen gentium* eiusque Notam explicativam praevisam (3-4), vel addantur hic alii canones de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum qui habentur in LEF. Prae oculis praeterea habeatur « quod Collegium Episcoporum nonnisi per intervalla actu stricte collegiali agit et nonnisi consentiente capite » (Nota praevisam, n. 4). Si unicus canon in C.I.C. ponendus sit, quaedam proponuntur formulae emendatae (Cardd. Siri, Philippe, Rugambwa, Satowaki, Palazzini et Bafle; Excc. Henríquez et Stewart).

R. Omnibus perpensis animadversionibus, textus huius canonis ita mutatur:

« § 1. Potestate plena et suprema in Ecclesia pollet Romanus Pontifex necnon, cum Capite suo, Collegium Episcoporum, ad normam praescriptorum Legis Ecclesiae Fundamentaliss.

§ 2. Romano Pontifici auxilio sunt pro parte sua Synodus Episcoporum, Collegium Cardinalium necnon Curia Romana, secundum normas quae sequuntur legesque particulares ».

Attamen hic canon supprimitur, si canones LEF in Codicem insererentur (cfr. Appendicem).

Ad cann. 278-284

1. Invertatur ordo capitulorum, ita ut hoc Caput II (« De Synodo Episcoporum ») veniat post Caput III (« De Sanctae Romanae Eccle-

siae Cardinalibus »), propter praestantiam munerum quae Collegio Cardinalium committuntur, praesertim ipsa electio Romani Pontificis (Cardd. Siri, Philippe et Palazzini).

R. *Animadversio non recipitur. Summus Pontifex de hac quaestione interpellatus est a Praeside Commissionis, in Audientia die 28-3-1981 habita, suumque responsum fuit ordinem systematicum servandum esse uti iacet.*

2. Melius videtur si novus C.I.C. pro hac materia ad legem peculiarem remittat, sicut schema iam facit pro Curia Romana et pro Sede Apostolica vacante. Vel saltem Caput limitetur ad canones 278-280, ceteris normis relictis ad legem particularem, etiam quia mutationes in hac materia facile habentur uti experientia docet (Cardd. Bafile et Palazzini).

R. *Simplificatio iam facta est. Afferuntur tantum quaestiones magni momenti, ceteris relictis ad legem peculiarem Synodi de qua in can. 282 § 1. Normae de Curia Romana integre remittuntur ad legem peculiarem, quia Const. Regimini Ecclesiae Universae nunc est sub opere revisionis.*

3. Dicatur clariore modo Synodum Episcoporum esse organum gubernationis Ecclesiae universae quando agit cum potestate deliberativa, de qua in can. 279 (Card. Marty).

R. *Animadversio non recipitur. Synodus Episcoporum est « peculiare sacrorum Antistitum consilium », « stabile Episcoporum consilium » (M.P. Apostolica sollicitudo, prooemium), ideoque hoc caractere tantum gaudet, etiam si certis in casibus potestate deliberativa a Romano Pontifice instructa sit. Potestatem legislativam seu decisionalem non habet, ne quidem vicariam.*

Ad can. 278

1. Cum determinationibus hoc in canone factis, praeter M.P. *Apostolica sollicitudo*, videtur restringi competentia Synodi ad solas quaestiones quae in textu explicite enumerantur (Card. König).

R. *Non recipitur animadversio. Determinationes quae in canone necessarie fiunt plane respondent normis M.P. Apostolica sollicitudo. Sunt praeterea sat amplae et minime restringunt Synodi competentiam.*

2. Latinitatis causa, deleatur in lin. 4 verbum « atque » et in lin. 6 dicatur « praestent » loco « praestant » (Card. Florit).

R. *Animadversiones recipiuntur iuxta modum, ita ut dicatur: « operam praestent, necnon quaestiones ... ».*

Ad can. 279

1. Deleantur verba « nisi certis ... habere », quia si Synodus habet potestatem deliberativam fere ipsis facultatibus gauderet quam Concilium Oecumenicum (Card. Philippe).

2. Aptius dicatur iuxta M.P. *Apostolica sollicitudo*: « Potest etiam potestate deliberativa gaudere, ubi haec ei confertur a Romano Pontifice » (Exc. Bernardin).

3. Clarificetur textus, quia Synodus Episcoporum est consilium Romani Pontificis: si ei tribueretur votum deliberativum mutaretur eiusdem natura (Exc. Coffy).

R. *Omnibus perpensis animadversionibus textus maneat uti est, quia:*

a) *ii casus extraordinarii seu exceptionales praevidentur in M.P. Apostolica sollicitudo, n. 11;*

b) *etiam his in casibus identificatio minime datur, nec sub respectu theologico nec sub respectu canonico Concilium Oecumenicum inter et Synodum Episcoporum;*

c) *formula quae adhibetur consultationi submissa fuit et generaliter placuit.*

Ad can. 280

1. Sunt normae minutae (Card. Marty).

2. Hic nimis contrahuntur normae Art. III M.P. *Apostolica sollicitudo* (Card. König).

R. *Duae animadversiones quae proponuntur contrariam inter se tenent sententiam. Quapropter, omnibus perpensis, textus servatur uti iacet.*

Ad can. 282

1. In § 1 omittantur verba « Episcoporum Conferentiae », quia ita canones huius tituli vere universales erunt (Card. Parecattil).

R. *Propositio admitti non potest, quia C.I.C. est pro Ecclesia latinā.*

2. Dicatur in § 2, lin 2, « sodales Institutorum vitae consecratae clericalium » (Cardd. Pironio et König).

R. *Textus servandus videtur uti est, quia in M.P. Apostolica sollicitudo, n. V, d) sermo fit de viris religiosiis « qui partem agunt Institutorum Religiosorum clericalium, electi ab Unione Romana Superiorum Generalium ». Membra Institutorum Saecularium vocari quoque possunt, sed inter clericos vel laicos saeculares.*

Ad can. 284

(Ex officio: *Attento responso Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vat. II interpretandis, die 13 iunii 1980, a Romano Pontifice approbato* (cfr. AAS 72, 1980, p. 767), *sequens emendatio introducitur in § 1, linn. 6-7: « omnium munus explicit ineunte novo coetu generali »*).

Ad can. 285

Dicatur in lin. 5 « cum in unum convocentur ... » ut vitetur repetitio verbi « collegium » (Card. Florit).

R. *Admittitur animadversio.*

Ad can. 286

1. Tollatur distinctio in tres Ordines, quia hodie non amplius congruit cum realitate Ecclesiae et ipsius Collegii (Card. Philippe).

R. *Distinctio in tres Ordines manere debet, iuxta sententiam Romani Pontificis, qui hac de re explicito interpellatus est a Card. Praeside Commissionis in Audientia habita die 28-3-1981.*

2. Ita emendetur textus:

« § 1. Sacrum Collegium in tres Ordines distribuitur: episcopalem;

presbyteralem et diaconalem, quae distributio, praeter ordinem praecedentiae, effectus parit qui in sequentibus paragraphis huius canonis necnon in canonibus 288, 291 et 293 recensentur.

§ 2. Ad ordinem episcopalem pertinent Cardinales, quibus a Romano Pontifice titulus assignatur Ecclesiae suburbicariae, necnon Patriarchae Orientales, qui in Patrum Cardinalium Collegium relati sunt; ad ordinem presbyteralem et diaconalem Cardinales, quibus a Romano Pontifice titulus aut diaconia in Urbe assignatur ». (Sequuntur ceterae §§ canonis).

Ratio est ut eluceat distributio Cardinalium in tres ordines nullos alios effectus parere quam eos qui in citatis canonibus recensentur (Card. Bafle).

R. *Textus canonis manere potest uti iacet, quia ex ipsis canonibus eruitur quinam sint effectus iuridici cuiusque ordinis.*

3. Norma § 1 videtur contra principium reformationis liturgiae, nempe « veritas rei » (Card. Willebrands).

R. *Iam provisum in responso ad 1.*

Ad can. 290

1. Deleatur canon (Card. Siri).

2. Addatur in § 1, n. 1: « Cardinalis, munere Decani Collegii fungens, non amittit sua iura, Sede vacante ». Incongruum enim videtur hoc factum: octogenarius Decanus Collegii praest Congregationibus Cardinalium; Sede vacante, tamen exclusus est a Conclave (Card. Wyszynski).

3. Non obstante M.P. *Ingravescentem aetatem*, supprimenda est norma n. 1, § 1 huius canonis. Saltem quaestio ponenda est reverenter ipsi Summo Pontifici, quia pluries exagitata (Card. Šeper, Philippe, Florit, Palazzini et Bafle).

4. Supprimatur quoque norma n. 2 ipsius § 1 (Card. Bafle).

R. *Animadversiones recipi non possunt, quia eae normae M.P. Ingravescentem aetatem includi debent in novo C.I.C. iuxta sententiam Romani Pontificis, qui etiam hac de re explicite interpellatus est a Praeside Commissionis, in Audientia de qua supra.*

5. Omittantur in § 2 verba « rogantur ut » quia Romani Pontificis est decernere quid agendum sit in singulis casibus uti recte exprimitur verbo « providebit » (Card. Palazzini).

6. Optatur ut deleantur verba pleonastica « sua sponte » utque hoc in canone sicut et in canonibus 368 § 1 et 477 § 3 eadem sit locutio quae adhibeatur: vel « rogantur ut », vel « exhibeant » (Card. Florit).

R. *Animadversiones recipiuntur iuxta modum ita ut deleantur verba « sua sponte », servatis verbis « rogantur ut »: haec eadem expressio adhibetur quoque in cann. 368 § 1 et 477.*

7. Dicatur modo saltem generali quaenam sint privilegia Cardinalium (Card. Siri).

R. *In genere, quae sunt privilegia Episcoporum.*

Ad can. 292

In ultima linea aptius dicatur: « praemonito Romano Pontifice » (Card. Palazzini).

R. *Animadversio recipitur, et ideo dicitur: « nisi praemonito Romano Pontifice ».*

Ad cann. 297-298

1. Saltem nomina Congregationum aliorumque Dicasteriorum inseri debent in C.I.C. (Card. Satowaki et Florit).

R. *Animadversio recipi non potest. Const. Apost. Regimini Ecclesiae universae sub reformatione est, et nescitur quaenam forent nomina diversorum institutorum Curiae Romanae eorumque competentiae.*

2. Addatur novus canon de personis quae in Curia Romana adlaborant et dicatur quod sunt in servitium Sedis Apostolicae ideoque et Ecclesiae universae (Card. Palazzini).

R. *Quod proponitur iam dicitur in can. 297, per verba « in bonum et in servitium Ecclesiarum », quae quidem referuntur ad Instituta Curiae Romanae ideoque et ad personas in ipsis Institutis laborantes.*

3. In can. 298, ultima linea, dicatur: « ... Instituta Romanae Curiae, de quibus in canone praecedenti », ut vitetur repetitio verborum

« negotia Ecclesiae universae expedire solet » quae iam habentur in can. 297, linn. 1-2 (Card. Florit).

R. *Animadversio recipi non potest, quia non per omnia Instituta Curiae Romanae Pontifex negotia expedit. Hic habetur quaedam limitatio vel distinctio quae servanda est.*

4. Addantur in can. 297 verba ex Decr. *Christus Dominus*, n. 9: « munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum ». Quaedam praeterea dicantur de rationibus Curiam Romanam inter et Conferentias Episcopales (Exc. Bernardin).

R. *Propositae additiones non videntur necessariae. Quoad primam, iam dicitur in canone « in servitium Ecclesiarum » ergo et Sacrorum Pastorum. Quoad secundam, sermo fit suis in locis, ubi id visum est necessarium ratione materiae.*

5. Canones de Curia Romana apte ponuntur in documento extra Codicem, sed expedit ut hoc documentum submittatur examini omnium Episcoporum. Haec petitio enixe fit, quia in can. 297 deleta sunt verba « in servitium Sacrorum Pastorum » (Decr. *Christus Dominus*, n. 9) (Card. Carter).

R. *Ad nostram Commissionem non pertinet hoc decernere.*

(Ex officio: In can. 298 additur « Secretariae Status » ante « Congregationes »).

Ad can. 299

1. Locutio « ius nativum et independens » apta non videtur quia agitur de iure historice acquisito non vero de iure nativo. Non fit praeterea distinctio inter missionem gerendi personam Romani Pontificis seu Sanctae Sedis apud Civitates (quod quidem est res iuris internationalis) et missionem mere ecclesiasticam Legatorum apud Ecclesias particulares (Card. König).

R. *Textus servatur uti iacet, quia:*

a) *hoc ius Romani Pontificis est revera « ius nativum et independens », quod profluit ex ipsa natura Ecclesiae, societatis nempe indolis supremae in ordine spirituali;*

b) *in canone agitur non tantum de Nuntiis, Pro Nuntiis et Internuntiis, sed etiam de Delegatis Apostolicis, qui legatione funguntur solummodo apud Ecclesias particulares.*

2. Deleatur locutio « servatis quidem normis iuris internationalis », quia absona videtur (Card. Palazzini).

R. *Animadversio non videtur recipienda, quia etiam Nunții servare debent illas normas, dum nocumentum non afferant peculiari characteri eorundem missionis.*

Ad can. 300

In § 2, loco verborum « prout ad ordinem pertinent ... » usque ad finem paragraphi, ponantur verba sequentia: « prout Romanus Pontifex, attento iure internationali in singulis Civitatibus, statuet », ne evolutio in hac materia, quae stricte cum situatione politica singulorum civitatum conectitur, impediatur et ipsa libertas Romani Pontifici coarctetur (Card. Bafile).

R. *Maneat textus uti iacet, quia traditus est ab ipso Consilio pro Publicis Ecclesiae Negotiis.*

Ad can. 302

1. Sustineri forsitan non debet n. 4, quia « processum informativum instruere » potius pertinet ad Praesidem Episcoporum Conferentiae una cum Consilio permanenti (Card. Wyszyński). Contrariam sententiam tenet Exc. Bernardin.

R. *Animadversio non recipitur, quia agitur de iure Romani Pontificis qui illud exercet iuxta normas a se suis Legatis datas (cfr. Decr. Episcoporum delectum, 25 martii 1972).*

2. Non agitur, sicut in M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, de Legati munere quoad determinationem limitum dioecesium, de eius relationibus cum religiosis, etc. (Exc. Bernardin).

R. *Non possunt nec debent omnes functiones in C.I.C. expresse enumerari. Hoc fieri potest per Instructiones, etc.*

Ad can. 303

1. In § 1, n. 2, supprimantur verba « de stipulationibus quae “modus vivendi” appellantur », quia sunt superflua (Card. Bafile).

R. *Animadversio recipitur, et ideo supprimuntur verba.*

2. In § 2, lin. 3, loco verborum « utiliter exquiret » ponatur « exquirere ne omittat », quia agitur de quaestionibus quae dioeceseos regimen plus minusve tangunt (Card. Bafile).

R. *Animadversio recipitur, et ideo dicitur: « ... ecclesiasticae, exquirere ne omittat, eosque ... faciat ».*

Ad can. 304

Prae oculis habitis vigentibus normis liturgicis, quibus suppressae videntur restrictiones can. 337, § 2 C.I.C., non bene intelliguntur verba « in pontificalibus liturgicas celebrationes peragere » (Card. Florit).

R. *Textus manere potest uti est, quia norma videtur clara.*

Ad can. 305

Cur hic nihil dicitur de renuntiatione a munere Legati, uti in n. III, 3 M.P. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*? (Card. Florit et Palladini).

R. *Nihil addendum necessarium videtur. Officium enim Legati semper est et confertur ad nutum Romani Pontificis. Haec quaestio iam perpensa fuit post consultationem (cfr. Communicationes, XII, 1980, p. 244).*

Pars II – Sectio II

Ad cann. 306-309

1. Optatur ut clarior sit legislatio de regione ecclesiastica quia:

a) novi Codicis est apte determinare quae de hac materia generico tantum modo dicta sunt in Decr. *Christum Dominus*, n. 39;

b) cum haec ulterior ordinatio in schemate C.I.C. non habeatur, notio regionis ecclesiasticae quae adhibetur non est univoca, sed diversis locis diversis modis traditur;

c) ita, regio ecclesiastica tanquam regula generalis videtur identificari cum natione (cann. 208, § 2; 278; 323, § 1; 686, §§ 1-2; 1223, etc.); ipsa potest etiam constitui pro territorio maioris vel minoris amplitudinis (can. 323, § 2); immo intra dioecesim (cann. 419, 432 § 2) vel intra nationem (can. 901, § 1).

Prae oculis habeatur, ad claram et univocam notionem regionis ecclesiasticae statuendam, quod ipsius absoluta identificatio cum natione vel cum ambitu internationali congrua non esset cum textu n. 39 Decr. *Christus Dominus*, neque cum notione regionis ecclesiasticae quoad, ex. gr., Seminaria regionalia, vel Tribunalia regionalia (Card. Jubany).

R. *Omnibus perpensis, textus videtur servandus uti est, etenim:*

a) certo certius verbum « regio » est per se locutio indeterminata, cuius significatio singulis in casibus erui debet e contextu sermonis;

b) « regio ecclesiastica » semper significat coniunctionem plurium provinciarum ecclesiasticarum, et hoc apparet sive in can. 306 § 1, sive etiam in aliis canonibus schematis novi C.I.C.;

c) quoad sic dictas « regiones pastorales » quae quibusdam in nationibus constitutae sunt quaeque non semper coincidunt cum notione canonica « regionis ecclesiasticae », aptius videtur ut nihil dicatur in C.I.C.

2. Emendetur ordinatio systematica canonum, nempe: can. 306 sit actualis can. 306, §§ 1-2; can. 307 sit actualis can. 306, § 3 atque can. 307 (Card. Jubany).

R. *Animadversio recipitur, ideoque § 3 canonis 306 fit § 1 canonis sequentis.*

Ad can. 306

1. Bis adhibetur in eadem phrasi verbum « componantur » (Card. Wyszyński).

R. *Maneat canon uti est, quia quod magis interest est ut textus iuridicus sit clarus.*

2. Textus § 3 ita emendetur: « Provinciae ecclesiasticae praeest Metropolita seu Archiepiscopus », nam in hac paragrapho loquendum non est de Concilio Provinciali, quia *permanens* auctoritas in Metropolita et non in Concilio Provinciali habetur (Card. Bafile).

R. Maneat textus uti iacet, quia magis completus et certus est sub respectu iuridico. Praeterea iam dicitur « ad normam iuris », et suis in locis postea apte determinatur quaenam sit auctoritas sive Concilii provincialis sive Metropolitae.

Ad can. 308

Nova redactio § 1 proponitur: « In regione ecclesiastica auctoritate gaudet Episcoporum regionis Conferentia et, Concilio regionali perdurante, ipsum Concilium pro quaestionibus eidem commissis ». Ratio est quia *permanens* auctoritas habetur apud Conferentiam Episcoporum, ad quam pertinet ipsa decisio an Concilium regionale indicendum sit (Card. Bafile).

R. Maneat textus, quia sufficienter provisum est per clausulam « ad normam iuris ».

(Ex officio: In § 2 dicitur, quia erat mendum, « in personam iuridicam »).

Ad can. 309

Addatur norma technica qua diversae species « innovationis » determinentur, nempe unio, divisio et dismembratio. Hoc est necessarium etiam quoad inferiores circumscriptiones (Card. Siri).

R. In novo C.I.C. suppressae sunt normae de beneficiis ecclesiasticis, et ideo opportunum non videtur de iis normis particularibus agere, in quibus respiciantur diversae species innovationis, quae ceterum iam satis ample a doctrina canonica pertractantur. Quod attinet ad paroecias, libertas relinquitur Episcopo dioecesano (cfr. can. 454, § 2), ita ut, servatis quidem iuribus quaesitis, ipse decernere possit quid animarum bono magis conveniat.

Ad cann. 310-313

Titulus huius Capituli sit: « De Metropolitibus et de Coetibus provincialibus », cum duobus Articulis - Art. 1: « De Metropolitibus »; Art. 2: « De Coetibus provincialibus » (Card. Bafle).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia non est necesse ut proposita distinctio fiat. Titulus ergo manet « De Metropolitibus ».*

Ad can. 310

1. Si titulus Patriarchae Summo Pontifici tantum in Ecclesia occidentali non reservetur, textus canonis ita compleatur: « Patriarchae, Primatis et *Archiepiscopi non Metropolitae* titulus », quia ipsi quoque habentur in Ecclesia latina (Card. Florit).

R. *Maneat textus, quia Archiepiscopi non Metropolitae titulus respicit casus exceptionales.*

2. Loco « in Ecclesia latina » dicatur « in Ecclesia *ritus latini* » (Card. Palazzini).

R. *Magis congruit locutio « Ecclesia latina ».*

(Ex officio: *Ratione materiae, magis placet quod can. 310 ponatur post can. 313; et loco verborum « quaedam ... sit », dicatur: « de aliquibus ex privilegio apostolico aut probata consuetudine aliud constet ».*)

Ad can. 311

Maioris claritatis et simplicitatis causa, dicatur: « Officium et dignitas Metropolitae coniuncta sunt cum sede episcopali a Romano Pontifice determinata vel probata » (Card. Bafle).

R. *Maneat textus canonis quia clarior videtur et completus.*

Ad can. 312

1. Post § 1 nova inseratur paragraphus, nempe:

« § 2. Ad Tribunal Metropolitae appellatur a sententia tribunalis Episcopi suffraganei ad normam can. 1391 ».

Ratio est: ne potestas et dignitas Metropolitanae minores appareant quam revera sunt (Card. Bafile).

R. *Provisum est in ipso can. 1391.*

2. Dicatur in § 1, n. 1, primam functionem Metropolitanae esse: « Una cum Provinciae Episcopis, promovere et coordinare actionem pastorem totius Provinciae communem » (Exc. Falcão).

R. *Hoc potest fieri in Concilio provinciali. Non convenit e contra enumerari uti functio ordinaria et permanens Metropolitanae, quia ita minuerentur iura Episcoporum dioecesanorum in propriis Ecclesiis particularibus. Possunt quidem adesse specialia adiuncta, quibus providendum est per statuta particularia a Sancta Sede condita.*

Ad can. 313

1. In § 2, post verba « ne accedente quidem Episcopi dioecesani assensu », addatur: « salva tamen facultate a Sancta Sede alicui specialiter concessa ».

Ratio est quia M.P. *Inter eximia* Pauli PP. VI hanc facultatem expresse tribuit Patriarchae Hierosolymitano latini ritus. Etiam Patriarcha Lisbonensis facultatem habet pallio utendi omnibus in dioecesibus Lusitaniae (cfr. Const. Apost. *In Supremo Apostolatus*, 7-XI-1716, n. 25) (Card. Ribeiro).

R. *Additio non videtur necessaria, quia per se patet.*

2. Proponitur ut, post hunc canonem, inseratur Articulus cuius inscriptio sit: « De Coetibus provincialibus », cum tribus canonibus, quorum primus conceptus est in analogia cum normis de Episcoporum Conferentia; alter describit munus huius coetus provincialis quoad actionem pastorem et elenchum candidatorum ad Episcopatum componendum; tertius demum agit de Concilii provincialis indictione, approbante quidem Apostolica Sede et id petentibus duabus saltem ex tribus partibus Episcoporum provinciae ecclesiasticae (Card. Bafile).

R. *Propositio recipienda non censetur. Codex non est tractatus scholasticus, aptius videtur ut nimiae determinationes ne fiant.*

Animadversio generalis habetur sequentis tenoris, textu aliquatenus contracto:

Quaestiones graviores videntur oriri quoad canones schematis qui Concilia regionalia (i.e. nationalia) et provincialia respiciunt. Veneranda instituta Concilii regionalis (quod antea Concilium plenarium vocabatur) et Concilii provincialis tamquam instrumenta in manu Episcoporum concepta erant (can. 290 Codicis Pio-Benedictini). Iamvero schema nostrum numerum sodalium Concilii indefinite extendit et tamquam sodales etiam laicos admittit. Hoc modo schema *institutionalizare* videtur magnos coetus, qui in nonnullis regionibus Europae celebrati sunt annis, qui Concilium Vaticanum II sequebantur, quorum fructus nequeunt simpliciter et ex toto tamquam boni agnosci.

Utique schema (can. 318) votum deliberativum Episcopis reservat, at non videtur sufficienter aestimare pondus voti consultivi coetus ampli et vim quam ei hodierna media communicationis socialis conferunt. Quare, ne Concilia particularia instrumenta in manu quorundam manipulorum pressionis (« gruppi di pressione ») fiant, sequentia media proponuntur: *a)* clarius pateat quod Conferentia episcopalis potest auctoritate propria (ad normam can. 330) decreta ferre, quae necessaria videantur tum in re legislativa tum in re pastoralis; et ideo Concilia particularia tum indicenda sunt quando adiuncta id vere suadeant; *b)* numerus eorum qui ad Concilium invitari *possunt* (non solum eorum qui invitari debent) sit circumscriptus; *c)* adprobationi Apostolicae Sedis submitienda sint Ordo Synodi celebrandi et quaestiones tractandae; *d)* cavendum est ne disceptetur de rebus, quae inter tractandas non inveniuntur, neve propositiones fiant, quae ius Ecclesiae universalis laedant vel alio modo libertas Episcoporum detrimentum patiatur (Card. Bafile).

R. Quae in mentem revocantur prae oculis habenda sunt in revisione singulorum canonum, praesertim quoad numerum personarum quae vocandae sunt ad Concilia cum suffragio tantum consultivo. Attamen animadverti debet quod:

a) Concilia particularia identificari non possunt cum sic dictis « Synodis nationalibus »;

b) Conferentia Episcoporum semper quidem potest (cfr. can. 330) decreta ferre, independentem a celebratione Conciliorum regionalium;

singularum praeterea Conferentiarum est ordinem agendi et quaestiones tractandas determinare (cfr. can. 316, 4);

c) iudicium ultimum de necessitate vel utilitate celebrationis Conciliorum regionalium, vel de Concilio in provincia ecclesiastica cuius termini cum natione coincidunt, Sanctae Sedi pertinet (cfr. can. 314), cuius etiam est recognoscere decreta omnium Conciliorum antequam promulgentur.

Ad can. 314

1. Canones 314 et 315 ita in unum reducantur ad vitanda pericula de quibus in animadversione generali: « Concilia particularia, scil. regionale vel provinciale, celebrantur ad hoc ut potestas Episcoporum coniunctim et sollemniter exerceatur pro determinata regione ecclesiastica vel pro determinata provincia ecclesiastica » (Card. Bafile).

R. Propositio non recipitur: cfr. responsum ad animadversionem generalem. Praeterea fines seu proposita Conciliorum in can. 320 recolluntur.

2. Sufficit ut dicatur in § 1: « ... prius Apostolica Sede conscia facta » (Card. Jubany). Vel supprimatur requisitum approbationis ex parte Sanctae Sedis, hic et etiam in can. 316 (Exc. Bernardin).

R. Necesse est ut maneat approbatio, quia agitur de exercenda potestate supradioecesana, praesertim legislativa, quod ambitum potestatis singulorum Episcoporum, immo et ipsae Episcoporum Conferentiae excedit.

Ad can. 315

1. Loco textus schematis, et iuxta animadversionem generalem et ad can. 314, dicatur: « § 1. Concilia regionale et provinciale celebrantur quoties id, Sede Apostolica adprobante, ab Episcoporum Conferentia ad normam can. 230 vel a Coetu provinciali ad normam can. 313 ter (cfr. animadversio 2^a ad can. 313) decretum fuerit » (Card. Bafile).

R. Cfr. responsum ad animadversionem generalem.

2. Norma est aliquatenus utopica, quia ex una parte videtur ampla ex alia vero restricta (Card. Marty).

R. *Animadversio non recipitur, quia non sufficienter patet.*

Ad can. 316

1. Canones 316 et 317 in unum reducuntur, attenta animadversione generali de qua supra (Card. Bafile).

R. *Propositio non recipitur: cfr. responsum ad animadversionem generalem. Sufficit praeterea ut Sancta Sedes approbet convocationem Concilii atque nominationem Praesidis (cfr. cann. 314 et 316, 3).*

2. Addantur verba claritatis causa: « Episcoporum Conferentia, servata in deliberatione norma can. 330, § 2, est ... » (Card. Florit).

R. *Additio proposita non videtur necessaria. Conferentia procedat iuxta propria statuta, a Sancta Sede recognita.*

3. Addatur: « documenta discutienda determinare et proponere » (Card. Willebrands).

R. *Iam dicitur « quaestiones tractandas determinare », quod videtur sufficere.*

Ad can. 317

Aptius dicatur in § 1: « Metropolitae una cum Episcopis suffraganeis ... », quia magis placet haec locutio traditionalis (Card. Marty).

R. *Necesse est ut requiratur consensus, quia secus norma esset ambigua.*

(Ex officio: In § 1 supprimuntur verba « provinciae ecclesiasticae », quia non necessaria).

Ad can. 318

1. Ex §§ 1-2 fiat unus canon cum sequentibus emendationibus:

« § 1. Ad Concilia ... deliberativi:

1) Episcopi dioecesani et eis in iure aequiparati ...;

4) Administratores dioecesani.

§ 2. Vocari *etiam* possunt alii Episcopi titulares vel emeriti in territorio degentes, qui, *si vocentur*, ius ...

§ 3. Ceteri omnes qui vocandi sunt vel vocari possunt habent ius ad suffragium consultivum tantum » (Card. Bafile).

R. *Aptius videtur ut maneat textus uti iacet, quia:*

a) *non est necesse ut addatur sub 1) « et eis in iure aequiparati », quia subintellegitur ut eruitur ex can. 348 § 2.*

b) *quoad Administratores dioecesanos, iam provisum est in can. 450 § 1;*

c) *verba quae addenda proponuntur ad § 2 per se patent.*

2. Ex §§ 3-6 fiat unus canon cuius textus emendatus sit:

« § 1. Ad Concilia particularia vocandi etiam sunt:

1) (uti iacet);

2) (uti iacet sed loco "a Provinciae Episcopo" dicatur "a Coetu provinciali");

3) et 4) (uti iacent).

§ 2. Ad Concilia particularia vocari etiam possunt presbyteri ex utroque clero alique christifideles, *quorum numerus tamen dimidiam partem eorum de quibus in § 1 non excedat.*

§ 3. Ad Concilia provincialia praeterea ... (uti iacet, sed suppressis in fine verbis: "qui tamen ... consultivum").

§ 4. Ad Concilia particularia, si id iudicio Episcoporum Conferentiae pro Concilio regionali *aut Coetus provincialis pro Concilio provinciali* expediat, quicumque alii ut hospites invitari valent, *quorum numerus tamen dimidiam partem eorum de quibus in § 2 non excedat »* (Card. Bafile).

R. *Aptius videtur ut unus habeatur canon, ratione unitatis materiae. Attamen, recipitur animadversio quoad numerum eorum qui ad Concilia particularia « vocari etiam possunt », ita tamen ut § 4 sit: « Ad Concilia particularia vocari etiam possunt, cum suffragio consultivo, presbyteri alique christifideles, ita tamen ut eorum numerus non excedat dimidiam partem eorum de quibus in §§ 1-3 ».*

(Ex officio: a) *deletur in § 1, lin. 1, verbum « etiam »;* b) *dicitur in § 3: « Rectores Universitatum ecclesiasticarum et catholicarum »).*

3. Quoad § 5, ne nimis graventur Concilia provincialia sufficit mandare unum delegatum Capituli cathedralis, exclusis delegatis Consilii presbyteralis (Card. Wyszyński).

R. *Propositio admittenda non videtur, quia norma non esset iusta.*

4. In § 6 sufficeret, prudentiae causa, ut dicatur loco « quicumque alii » « *etiam alii ut hospites...* » (Card. Florit).

R. *Placet animadversio, ideoque in § 6, lin. 3, dicitur: « ... expediat, etiam alii... ».*

Ad can. 320

1. Dubitatur utrum bono Ecclesiae servire possit ut Concilio particulari tribuatur « potestas regiminis praesertim legislativa » (Card. Wyszyński).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia Concilio tribuenda est haec potestas ut suos fines persequi valeat.*

2. Novus textus proponitur, iuxta animadversionem generalem:

« § 1. Concilium particulare pro suo territorio curat, *salvo iure Coetuum Episcoporum rei aliter, ad normam cann. 313-quater et 330-bis* (qui ab ipso Card. Bafle propositi sunt), prospiciendi, ut necessitatibus pastoralibus ... »

§ 2. Cavendum est ne per disceptationes de rebus quae inter quaestiones tractandas non inveniuntur, per propositiones quae ius universale Ecclesiae laedant, vel per nimis protractas disquisitiones vel alio modo libertas Episcoporum in suo munere pastoralis adimplendo aliquid detrimenti patiatur » (Card. Bafle).

R. *Animadversio non recipitur: cfr. responsum ad animadversionem generalem. Praeterea quae in § 2 novi canonis proponuntur per se patent et ponenda non videntur in lege universali.*

3. Requiritur limitatio potestatis legislativae Conciliorum particularium: ex. gr. approbatio duarum ex tribus partibus suffragiorum deliberativorum. Secus potestas Episcoporum dioecesanorum singulorum evanescere posset (Exc. Stewart).

R. *Non videtur necessarium ut haec addatur clausula.*

4. Addatur norma prohibens ne decreta *edantur vel divulgentur* antequam ab Apostolica Sede sint recognita prudentiae causa ut experientia docet (Card. Rosales).

R. *Textus manere potest uti est, quia sub respectu iuridico sufficit norma « ne promulgentur ».*

Ad cann. 322-334

1. Hoc Caput valde placet, praesertim quae statuuntur in can. 322 de ipsa notione Episcoporum Conferentiae atque in can. 330 de eiusdem competentia. Doctrina Vaticani II (Decr. *Christus Dominus* et passim) recte applicatur et textus prudenter tuetur potestatem singulorum Episcoporum dioecesanorum in propria cuiusque dioecesi (Cardd. Rosales et Palazzini).

2. Caput « De Episcoporum Conferentiis » praeponatur Capiti « De Conciliis particularibus », quia auctoritas permanens in regione ecclesiastica est apud Conferentias Episcoporum (Card. Bafile).

R. *Animadversio non recipitur, quia res non ita se habent. Sensu enim iuridico auctoritas seu potestas in regione ecclesiastica non est permanens neque in Concilio particulari neque in Conferentia episcopali.*

3. Sumatur in aliquo canone expressio quae videtur haberi (cfr. *Communicationes*, 1977, p. 292) in can. 76 LEF, nempe: « Firma manente lege, vi cuius unius Episcopi dioecesani est, pro sua cuiusque dioecesi, legislativam potestatem exercere ... ». Ratio est ut Conferentiae Episcopales potestate legislativa cum debita moderatione utantur (Card. Rosales). In eodem sensu Card. Siri.

R. *Non videtur necessarium, quia sufficienter patet sive ex cann. 348 § 1 et 358, sive ex restrictionibus in ipso can. 330 contentis.*

4. Oportet ut dicatur ad quod organum vel ad quae organa Sanctae Sedis recursus fieri possit contra eventualia decreta aliosque actus iuridicos ab aliqua Conferentia Episcopali lata vel posita non servatis conditionibus de quibus in can. 330 §§ 1 et 2. Item, quia « leges statuuntur cum promulgantur » (can. 7), forsitan expedit ut aliquid dicatur de modo promulgandi decisiones Conferentiarum (Card. Palazzini).

R. *Propositio recipienda non videtur, quia:*

a) quoad primam partem, provisum iam est ubi de procedura administrativa, recursus nempe fit ad S.T. Signaturae Apostolicae (cfr. can. 1691), si de recursu agitur contra decreta executoria vel singularia; contra decreta vero legislativa nihil expresse statutum est, sed patet quod recursus fit ad competens Dicasterium Sanctae Sedis, ratione materiae de qua agitur;

b) quoad modum promulgationis decretorum sufficit norma can. 8 § 2.

Ad can. 322

Cum Conferentiae Episcopales ubique existere debeant, auctoritas ad eas constituendas detur ipso iure a C.I.C. (Exc. Bernardin).

R. Conferentiae possunt esse non solum nationales, sed etiam regionales, etc. Ideo congruit ut, singulis in casibus, a Sancta Sede erigantur.

Ad can. 324

Iuxta animadversionem ad can. 322, dicatur in § 1: « ordinare, suppressere aut innovare » (Exc. Bernardin).

R. Requiritur verbum « erigere » (cfr. responsum ad animadversionem circa can. 322).

Ad can. 325

1. Ita compleatur textus, etiam ad distinguendam positionem Legati Romani Pontificis ab illa ceterorum Episcoporum titularium:

« § 1. Ad Episcoporum Conferentiam ... fungentes necnon Administratores dioecesani; invitari quoque ...

§ 2. Legatus Romani Pontificis non est membrum Conferentiae; attamen primo coetui cuiusvis sessionis generalis intererit, salvo iure participandi alios Conferentiae coetus, praeterquam ex ipsorum Episcoporum invitatione, ex expresse Apostolicae Sedis mandato; praeterea ipsi notae fiant tempore utili quaestiones in sessione tractandae.

§ 3. Ceteri Episcopi titulares non sunt de iure membra Episcoporum Conferentiae » (Card. Bafle). In eodem sensu Card. Jubany.

R. Proposito admittenda non videtur; quia: a) non est necesse ut in § 1 addantur verba « necnon Administratores dioecesani »: iam provi-

sum est in can. 450; b) quoad Legatum Romani Pontificis, aptius videtur ut hac de re caveant statuta Conferentiae, a Sancta Sede recognoscenda.

2. In § 1, lin. 3-8, deleantur verba « ... Episcopi auxiliares ... aliud decernant », et dicatur tantummodo: « ceteri Episcopi si id praecipitur in propriis Conferentiae statutis » (Card. Siri).

R. *Animadversio recipi non potest* (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 38).

Ad can. 326

Post § 1 nova addatur §, nempe: « § 2. Unaquaeque Commissio suos peritos habeat, a Conferentia libere nominandos, qui consilio suo Commissioni ipsi in munere adimplendo subsidio sint ». Ratio est quia videtur res magni momenti quod periti a Conferentia ipsa libere seligantur et a nulla extranea organizatione ei imponantur (Card. Bafle).

R. *Additio non videtur necessaria in C.I.C. De re quae proponitur caveant statuta Conferentiae.*

Ad can. 328

Deleantur verba « saltem singulis annis et » (Card. Siri).

R. *Oportet ut maneant verba, ne evacuetur canon.*

Ad can. 329

In fine § 2 addantur verba: « vel de Concilio regionali indicendo vel de aliis quaestionibus decidendis quae stricte ad regimen dioecesis pertinent ad normam cann. 334, § 1 et 335, § 1 », ad servandum principium quod regimen dioecesis modo peculiari ad Episcopum dioecesanum pertinet (Card. Bafle).

R. *Additio proposita necessaria non videtur* (cfr. responsum ad 3^{am} animadversionem generalem ad hos canones).

(Ex officio: In § 1 supprimuntur verba « qui ad normam can. 325 § 1 ad Conferentiam pertinent », quia non sunt necessaria).

Ad can. 330

1. Pressius determinetur si « per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum voto deliberativo fruendum » intelligatur omnium membrorum Conferentiae voto deliberativo fruendum, an tantum membrorum praesentium et votantium (Exc. Henríquez).

R. *Animadversio recipitur ideoque ita emendatur textus in § 2, lin. 3, ad normam Decr. Christus Dominus, n. 38, 4: « Praesulum qui voto deliberativo fruendum ad Conferentiam pertinent ».*

2. Post can. 330 sequens inseratur canon: « Episcoporum Conferentiae erit curare ut, quoties praesens Codex ad ius particulare remittit, vel pastoralis sollicitudo id exigat, normae necessariae et opportunaedantur, quod ipsa efficere poterit sive directe ad normam can. 330, sive rem potestati singulorum Episcoporum pro sua quisque dioecesi ad normam can. 358 relinquendo, sive, quando peculiaria adiuncta id suadeant, rem Concilio regionali deferendo » (Card. Bafle).

R. *Additio proposita recipienda non videtur, quia ita nimis augeretur potestas Conferentiarum Episcopali, cum nocumento potestatis quae iure divino singulis Episcopis dioecesanis pertinet in respectiva Ecclesia particulari.*

3. Post can. 330 novus inseratur canon:

« § 1. Conventibus plenariis Episcoporum Conferentiae adsunt tantummodo membra de quibus in can. 325 et Secretarius generalis; ceteri, qui vocantur ad referendum vel consulendum de aliqua quaestione vel ad quoddam auxilium praestandum, munere adimpleto, aulam relinquent.

§ 2. Circa res pertractatas sapiens servetur discretio » (Card. Bafle).

R. *Additio non videtur necessaria. Normae quae proponuntur non ad C.I.C. sed ad Ordinem in adunationibus Conferentiae servandum pertinent.*

4. Multa quae in praecedentibus schematibus tribuebantur Conferentiae Episcopali nunc relinquuntur decisioni singulorum Episcoporum dioecesanorum: hoc non placet (Exc. Bernardin). Placet e contra Cardd. Rosales et Carter.

R. Hoc factum est post consultationem, quia permulti id petierunt, quo magis extollatur auctoritas et potestas Episcopi dioecesani in propria Ecclesia particulari. Et merito quidem, quia Conferentia Episcoporum non intelligitur primarie ut coetus legislativus qui fere omnia centralizare debeat, sed est praesertim organum unionis et communicationis Episcoporum inter se, ita ut in regimine propriae dioecesis, unusquisque procedere valeat « communicatis prudentiae et experientiae luminibus collatisque consiliis » (Decr. Christus Dominus, n. 37), et propterea in eodem Decreto conciliari statuitur decisiones Conferentiae vim iuridice obligandi habere dumtaxat in casibus expresse definitis (n. 38, 4).

5. Constructio canonis 330, qua Conferentia episcoporum non habet potestatem leges ferendi nisi in casibus iure aut concessione expressis, sat confusa videtur. Ceterum relatio Conferentiae ad Concilium provinciale non est clara. De novis rationibus concilii provincialis seu synodi celebrandae, ut in praxi iam adhibitae sunt, schema silet. De propria responsabilitate laicorum eorundemque iuribus inde provenientibus nihil liquet (Card. Willebrands).

R. Animadversio minime admitti potest, quia:

a) concessio indiscriminata potestatis legislativae Conferentiis Episcoporum esset in detrimentum, non tantum auctoritatis Sanctae Sedis, sed etiam auctoritatis qua in sua cuiusque dioecesi singuli Episcopi dioecesani pollent, necnon contra mentem et verba Concilii Vaticani II (cfr. Decr. Christus Dominus, n. 38 § 4; M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 41);

b) differentia et relationes Conferentiam Episcoporum inter et Concilium provinciale clare patent si prae oculis habeatur Episcoporum Conferentiam esse institutum permanens (cfr. can. 322), dum Concilium provinciale celebratur quoties id, de iudicio maioris partis Episcoporum dioecesanorum provinciae opportunum videatur, approbante Apostolica Sede si termini provinciae cum territorio nationis coincidunt (cfr. cann. 314 et 315), neque Concilium provinciale identificari potest cum Synodo quae est solummodo dioecesana — haud vero supradioecesana — uti patet ex can. 379 ss.;

c) Conferentiae Episcoporum sunt coetus Episcoporum, et ideo « eadem ex Episcopis et viris ecclesiasticis in iure ipsis aequiparatis tantum constant » (Resp. Pont. Commissionis Decretis Concilii Vati-

cani II interpretandis, 31-X-1970); *quapropter hoc in canone agi non potest de responsabilitate laicorum in Conferentia vel de iuribus inde provenientibus.*

6. Sequens addatur § 5: « Contra decisa in conventibus plenariis, etiamsi vi legis praedita non fuerint, Episcopi se abstineant a declarationibus publicis » (Exc. Falcão).

R. *Norma proposita, etsi prudens, nimis particularis videtur ut includatur in C.I.C.*

(Ex officio: In § 1, lin. 1, loco « decreta vim quidem obligandi habentia » dicitur « decreta generalia », quia norma huius § 1 non valet si agatur de decretis particularibus: ex. gr. ad nominationem cuiusdam Officialis vel periti, etc.).

Ad can. 331

Norma videtur inutilis, cum producuntur acta et decreta minus nota gubernationi Apostolicae Sedis (Card. Wyszyński).

R. *Animadversio admitti non potest: allata ratio minime sustinetur.*

Ad can. 334

Nihil hoc in canone dicitur circa adunationes Episcoporum ipsius provinciae ecclesiasticae, de quibus sive in C.I.C. (can. 292), sive in aliis locis schematis novi C.I.C. (cfr. cann. 901, § 1; 1215, etc.) (Card. Jubany).

R. *Maneat textus canonis, quia non est necesse ut in Codice normae particulares hac de re statuantur. Relinquitur libertas in his parvis adunationibus ordinandis, quibus certo certius non applicantur praescripta de Episcoporum Conferentiis.*

Ad cann. 335-339

1. Placent ii canones, quia: a) fideliter respondent doctrinae Decr. *Christus Dominus*, n. 11, ita ut Ecclesia particularis non intelligatur primarie tamquam territorium, sed tamquam « portio populi Dei »;

b) exceptis Dioecesibus ritualibus, servatur in schemate principium iuxta quod semper requiritur circumscriptio territorialis ut habeantur Ecclesiae particulares seu Dioeceses, immo et aliae populi Dei portiones quae Ecclesiae particulari assimilantur, nempe Praelatura territorialis, Abbatia, Vicariatus Apostolicus, Praefectura Apostolica atque Administratio Apostolica stabiliter erecta; c) uti Concilium praescribit (cfr. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10), schema aptas leges etiam statuit de Praelaturis personalibus ad peculiaria opera pastoralia peragenda, quae quidem Praelaturae — secus ac Praelaturae territoriales — non dicuntur Ecclesiae particulares neque eisdem assimilantur, sed ipsis solummodo in iure et ex parte aequiparantur (Cardd. König, Rugambwa et Rosales).

2. His in canonibus non sufficienter servatur necessarium principium territorialitatis, quod e contra rigore statuebatur in C.I.C. anni 1917, et merito quidem, quia structura organizativa Ecclesiae in Ecclesiis localibus eruitur ex ipsa structura eucharistica.

Non placet praesertim quod Praelaturae personales veniant inter Ecclesias particulares, quia: a) licet quaedam habeantur exceptiones (nempe Ecclesiae rituales, quae iustificantur quia ritus est forma culturae ecclesiasticae indolis constitutionalis; et Vicariatus castrenses, qui fundantur in singulari modo vivendi militum), principium tamen territoriale, quod in Praelaturis personalibus non servatur, pertinet ad essentiam Ecclesiae particularis; b) in praxi, Praelaturae personales quae sint Ecclesiae particulares pericula secumferre possunt relate ad Ecclesias locales et ad iura Ordinariorum locorum; c) haec identificatio cum Ecclesiis particularibus videtur esse contra M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4, ubi Praelaturae personales potius habentur uti unitates administrativae ad meliorem cleri distributionem fovendam. Ideo de Praelaturis personalibus his in canonibus agendum non est, sed in Parte III. Ad hoc proponuntur sex novi canones, quorum unusquisque complectitur unam paragraphum praedicti textus M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4 (Cardd. Ratzinger, Hume et O'Fiaich). In eodem fere sensu Card. Freeman et Exc. O'Connell.

3. Non placet quod Praelaturae personales Ecclesiis particularibus aequiparentur, quia ipsae constituendae non sunt ad ordinariam curam pastorem, sed ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perfi-

cienda (cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*). Deleatur ergo § 2 can. 335 (Card. Carter). In eodem fere sensu Exc. Bernardin.

4. Praelatura personalis, quae in schemate 1977 « assimilabatur » Ecclesiae particulari, in praesenti schemate solummodo comparatur (« aequiparatur ») eidem, et hoc quia Praelatura personalis non habet territorium. Hoc non placet, quia significat praevalentiam principii territorialis supra principium communitarium (Card. Marty).

5. Ex documentis conciliaribus necnon ex documentis applicativis eorum, patet agendum esse in hoc Titulo de structuris iurisdictionalibus characteris personalis, uti sunt Praelaturae personales, quae diversae indolis esse possunt, sed quarum activitas procedere semper potest et debet in bonum Ecclesiarum localium et, sicut statuitur, « salvis iuribus Ordinariorum locorum ». Praeterea, sub respectu technico legislativo, minus logicum esset quod agatur in Parte II de Praelatura personali castrensi, et de ceteris Praelaturis personalibus in Parte III (Cardd. Höffner et König).

R. *Omnibus accurate perpensis observationibus, canones servantur uti iacent: attamen in can. 337, § 2, loco « portio populi Dei » dicitur « christifidelium coetus », quia prior expressio magis convenit definitioni Dioecesis aliarumve communitatum quae Dioecesi seu Ecclesiae particulari assimilantur (can. 335, § 1).*

De his quaestionibus iam amplissime disceptatum est post consultationem (cfr. Communicationes, vol. XII, 1980, pp. 275-282), et videtur quod non eruitur ratio cogens ut de Praelaturis personalibus agatur in Parte III huius Libri. Praecipuae rationes sunt sequentes:

a) *principium territorialitatis non potest considerari tamquam elementum essenziale constitutivum Ecclesiae particularis (cfr. Decr. Christus Dominus, n. 11 eiusdemque Relationes explicativas: Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II, vol. III, pars VI, pp. 156 et 163; Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant, a prima Synodo Episcoporum probata, n. 8). Hoc principium servandum utique est uti criterium delimitativum ordinarium ad circumscribendas communitates fidelium quae sunt Ecclesiae particulares (Dioeceses), vel quae Ecclesiae particulari assimilantur: et quidem haec norma in sche-*

mate novi C.I.C. accurate servatur (cfr. cann. 335, § 1 et 339, § 1), unico excepto casu Ecclesiae particularis ratione ritus (cfr. can. 339, § 2);

b) quoad Praelaturas personales a Concilio commendatas (cfr. Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 10; Decr. Ad Gentes, n. 20, nota 4 et n. 27, nota 13) et a variis documentis applicativis Concilii regulatas (cfr. M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 4; sed etiam Const. Ap. Regimini Ecclesiae universae, n. 49, § 1; Directorium de pastoralis ministerio Episcoporum, n. 172), minime statuitur in schemate ipsarum identificatio cum Ecclesiis particularibus vel earum assimilatio ad Ecclesias particulares: haec assimilatio tantummodo habetur (cfr. can. 335, § 1) pro Praelaturis territorialibus (seu Praelaturis « nullius » vigentis C.I.C.), quae sunt iurisdictiones personales a qualibet dioecesana iurisdictione exemptae;

c) pro Praelaturis e contra personalibus tantummodo datur valde limitata aequiparatio (cfr. can. 335, § 2), et quidem (cfr. can. 339, § 2) « salvis iuribus Ordinariorum locorum » (quia potestas huius Praelati plena numquam esse potest, sed cumulativa vel mixta, etc., cum Episcopis dioecesanis). Agitur enim de aequiparatione mediantibus clausulis sat restrictivis (« nisi ex rei natura vel iuris praescripto aliud appareat »): hoc inter alia significat quod servari debent in statutis a Sancta Sede sancientis et in activitate harum Praelaturarum omnes attributiones quae vi iuris divini et ecclesiastici Episcopis dioecesanis competunt (ordinatio cultus divini; vigilantia super doctrinam et mores; leges ordinis publici; quidquid attinet ad status clericalis decorem, ad necessariam coordinationem pastorem ex parte Ordinarii localis in proprio territorio, etc.).

6. Placent normae de Praelaturis personalibus, sed in can. 339, § 2 dicatur: « ... erigi valent Praelatura castrensis et Ecclesiae particulares ratione ritus fidelium distinctae ». Deinde, nova addatur § 3, in qua breviter contineantur normae M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 4 circa peculiare fines, regimen, etc. huiusmodi Praelaturarum (Card. Höffner).

R. Proposito admitti posset, sed non videtur necessarium, quia de peculiari opere pastoralis uniuscuiusque Praelaturae, de eius structura et ratione devinctionis, etc., providendum aptius est in statutis particularibus a Sede Apostolica sancientis (cfr. can. 335, § 2).

7. Verbo « Abbatia », in can. 335 § 1 et in can. 337 § 1, addatur aliquod qualificativum, quia haec « Abbatia » est Ecclesia quaedam particularis, vel dicatur in can. 335 § 1 « Praelatura et Abbatia territoriales ». Ratio: ut haec « Abbatia » distinguatur ab « Abbatia » quae in solo monasterio consistit (Cardd. Florit et Bafle).

R. *Recipitur animadversio ideoque dicitur « Abbatia territorialis » in cann. 335, § 1 et 337, § 1.*

8. Melius dicatur in can. 336: « ... portio, in qua episcopo, presbyterio cooperante, ministerium pascendi conceditur » (Card. Willebrands).

R. *Maneat textus quia sunt verba ex Decr. Christus Dominus, n. 11.*

9. In can. 338 non clare apparet differentia realis inter Vicariatum Apostolicum, Praefecturam Apostolicam et Administrationem Apostolicam (Exc. Stewart).

R. *Quod dicitur in canone videtur sufficiens.*

10. In can. 339 § 2 dicatur: « Ad has Dioeceses vel Praelaturas erigendas, audiri debent Episcoporum Conferentiae necnon pro casu Ordinarii locorum quorum interest » (Card. Jubany).

R. *Additio proposita non videtur necessaria, quia sufficit norma canonis. Praeterea obligatio imponi non potest Supremae Auctoritati.*

Ad can. 341

Addatur in fine § 2: « ... Vicariatus foranei vel, si casus ferat, zonae aut sectores pastorales », quia in novo C.I.C. nova habetur figura iuridica Vicarii episcopalis etiam pro determinato territorio (Card. Jubany).

R. *Additio recipienda non videtur, quia:*

a) *terminologia et adiuncta varia sunt vel esse possunt pro diversis locis ac necessitatibus, et oportet ut Episcopi dioecesani libertate gaudeant in hac materia ordinanda;*

b) *iam dicitur in canone « peculiare coetus uti sunt ... », et hoc videtur sufficere.*

Ad can. 342

1. Inseratur can. 226 praecedentis schematis (Exc. Bernardin).

R. *Hic canon 226 suppressus est quia eiusdem § 1 continetur in LEF (cann. 34 § 2 et 45), et § 2 etiam in can. 711 § 2 schematis C.I.C.*

2. Dicatur in § 2: « Episcopi ipsa consecratione episcopali, *una cum functione sacerdotali, recipiunt quoque ...* » (Exc. Coffy).

R. *Maneat textus, quia est formula ex Const. Lumen gentium, n. 21.*

Ad can. 344

1. Novus textus proponitur §§ 2-3:

« § 2. Singulis saltem trienniis Episcopi provinciae ecclesiasticae (...), communi consilio et secreto ... eumque *pro opportuna cognitione, ad Praesidem Conferentiae Episcopalis Nationis mittatur, qui animadversiones et notitias addere poterit prae mente habens necessitates et adiuncta Ecclesiae in tota Natione.*

§ 3. Quoties nominandus est Episcopus Coadiutor, Episcopi dioecesanis provinciae ... videantur, *quem elenchum communicare debent cum Praeside Conferentiae Nationalis; quem elenchum ut componant ... singillatim et sub secreto pontificio exquirere possunt* ». Ratio est quia valde oporteret ut sententia habeatur consilii Episcoporum permanentis, de quo in cann. 326 et 327 § 2, quia ipsum praesertim nescit quae aptiora sint pro bono totius Nationis (Card. Primatesta).

R. *Emendatio proposita non videtur necessaria, etiam ne nimis augeatur competentia Consilii Episcoporum permanentis.*

2. Addantur verba in § 4: « ... dandum aestimet, *audito consilio Episcoporum provinciae, elenchum ...* », quia frequenter Episcopus auxiliaris in aliqua magna dioecesi nominatus deinde fit Episcopus dioecesanus in aliqua dioecesi eiusdem Provinciae ecclesiasticae (Card. Freeman et Exc. O'Connell). In eodem sensu Exc. Bernardin.

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia non est necesse ut haec imponatur obligatio.*

3. Etsi electio « democratica » Episcoporum minime desideratur, tamen quaedam clara cooperatio « portionis Populi Dei », cui interest,

vinculum episcopum inter et populum corroborare posset (Card. Willebrands). Contrariam sententiam tenet Card. Siri.

R. *Sufficit quod dicitur in § 3, lin. 6-8.*

4. Deleantur in § 3 verba « singillatim et » (Exc. Bernardin).

R. *Melius videtur, prudentiae causa, ut haec verba maneant.*

Ad can. 345

In § 1, n. 1 addantur verba: « ... animarum zelo, *visione et experientia pastorali*, sapientia ... » (Exc. Falcão).

R. *Additio non videtur necessaria, etiam quia minus recte intelligi potest.*

Ad can. 346

Etsi verba « possessionem capere » sint utique verba canonica valde clara, non bene sonant iuxta hodiernam ecclesiasticam sensibilitatem vel mentalitatem: essetne possibile aliam aequivalentem locutionem invenire? (Card. König).

R. *Animadversio non recipitur, quia agitur de locutione technica, traditionali et in iure sat clara. Quod non bene sonet a contingentibus et transitoriis adiunctis pendet.*

Ad can. 349

Norma § 3 unitur cum problemate fundamentali de officiis et muneribus Capituli Cathedralis. Non videtur opportunum ut transferatur ius Capituli ubi viget ad Collegium Consultorum etiam quia eorum membra mutantur singulis quinquenniis (Card. Wyszyński).

R. *Iam provisum est in can. 422 § 3.*

Ad can. 350

1. Aptius dicatur in § 1: « Episcopus dioecesanus in ecclesia particulari communioni fidelium praesidet, summam responsabilitatem pa-

storaalem, quam exercet in nomine Domini, in communione hierarchica cum Capite et membris Collegii Episcoporum et in fraterna cooperatione cum presbyteris, diaconis et laicis, ad normam iuris » (Card. Willebrands).

R. *Melius est ut servetur textus uti iacet, quia magis congruit cum Decr. Christus Dominus, n. 11; in formula praeterea proposita quaedam habentur quae aliis in canonibus dicta iam sunt.*

2. Ea quae in § 2, etsi quandam perfectionem schematis prioris constituent, nondum sufficere videntur (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 23; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4). Optandum est ut textus compleatur ita ut magis extollatur gravis obligatio qua Episcopi dioecisani tenentur curandi ut christifideles orientales proprium ritum retineant et colant (Card. Parecattil).

R. *Iam sufficienter provisum est in § 2.*

Ad can. 353

1. Hoc in canone et in canone 354 exoptatur ut aliquid addatur de familiis et de sponsis catholicis qui matrimonium mixtum iniverunt (Card. Satowaki).

R. *Provisum est in can. 1082.*

2. Addantur in § 1 verba: « Episcopus dioecesanus, *verbo et opere atque exemplo vitae*, fidelibus ... » (Card. Palazzini).

R. *Providetur in can. 354.*

3. Addantur verba in § 3: « Integritatem et unitatem fidei, *morum ac disciplinae* aptioribus ... » (Card. Palazzini).

R. *Iam provisum est aliis in canonibus eiusdem Articuli: ex. gr. can. 359.*

4. In fine § 3 addantur verba: « nec quaestiones de quibus periti legitime inter se dissentiant dirimens » (Exc. Bernardin).

R. *Sufficiunt verba canonis « iustam libertatem agnoscens ».*

Ad can. 354

Addantur verba ex Decr. *Christus Dominus*, n. 15: « ... memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate » (Exc. Bernardin).

R. *Recipitur observatio, ideoque dicitur: « Episcopus dioecesanus memor se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate, omni ope ... ».*

Ad can. 356

Addatur paragraphus in qua reintroducatur norma praecedentis schematis (« De Populo Dei », can. 242, § 1) de obligatione Episcopi vigilandi quoad vitam liturgicam in dioecesi (Card. Freeman).

R. *Iam provisum in cann. 359 § 2 et 792 § 4.*

Ad can. 360

Post hunc canonem novus habeatur canon de unitate actionis Episcoporum diversorum rituum in eodem territorio potestatem regiminis exercentium, ad mentem sequentis canonis qui habetur in schemate CICO: « Hierarchae (Ordinarii) variarum Ecclesiarum sui iuris in eodem territorio potestatem regiminis obtinentes, curent, collatis consiliis in periodicis conventibus unitatem actionis fovere, et, viribus unitis, communia adiuvere opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam » (Card. Parecattil).

R. *Animadversio non recipitur, quia non est necesse ut norma tam minuta de hac re includatur in lege universali. Sufficere videtur, etiam attentis Decr. Christus Dominus, n. 23 et Decr. Orientalium Ecclesiarum, n. 4, norma in can. 350, § 2 statuta.*

Ad can. 361

Exoptatur ut aliquid addatur in § 2 de apostolatu familiarum christianarum, et de sponso catholico in matrimonio mixto (Card. Satowaki).

R. *Iam provisum in aliis canonibus (cfr. ex gr. cann. 271 et 1082).*

Ad can. 362

(Ex officio: *Claritatis causa, ita emendatur § 4: « Si ... Episcopus illegitime abfuerit, de eius absentia Metropolita Sedem Apostolicam certiore faciat; quod si agatur de Metropolita, idem faciat antiquior suffraganeus »*).

Ad can. 363

Dicatur in § 1: « ... ita ut, si fieri potest, singulis quinquenniis ... » (Card. Siri).

R. *Additio necessaria non videtur, quia si Episcopus id facere non potest per se, potest facere per alium.*

Ad can. 364

Supprimatur verbum « tantum » ne videatur haberi tendentia fovendi exemptionem religiosorum (Exc. Henríquez).

R. *Verbum « tantum » potest manere, quia ex eius suppressione nulla mutatio sensus sequeretur. Praeterea eadem expressio habetur in C.I.C. (can. 344 § 2).*

Ad can. 367

Post hunc canonem novus addatur canon de relatione quinquennali Episcopi dioecesani circa orientales, quia pro Episcopis quoque latini ritus ius vigens constituit can. 406 M.P. « Cleri sanctitati » (Card. Parecattil).

R. *Additio proposita non videtur necessaria. Id enim quod in relatione quinquennali contineri debet iam indicatur in normis latis a S. Congregatione pro Episcopis.*

Ad can. 368

Locutio « renuntiationem ab officio exhibeat » obligationem statuit, dum in n. 21 Decr. *Christus Dominus* agitur de commendatione (Card. Siri et Razafimahatratra).

R. *Iam provisum: (cfr. responsum ad animadversiones 5 et 6 circa can. 290. Dicitur « rogantur ut renuntiationem ... »).*

Ad can. 371

Quoad §§ 1 et 3 reponatur norma praecedentis schematis 1977, nempe: « Collegium consultorum una cum Capitulo cathedrali in unum collegium coadunatis ». Item pro can. 349, § 3. Ratio est quia nimis restringuntur in novo C.I.C. munera et officia Capituli Cathedralis (Card. Florit).

R. Propositio admitti non potest, quia iam duae possibilitates dantur in can. 422 § 3. Decisio ergo relinquitur Conferentiae Episcoporum.

(Ex officio: Ut habeatur uniformitas cum §§ 1 et 2, additur in fine § 3 « praesente Curiae cancellario », et expungitur verbum « soli » quod est inutile).

Ad can. 376

Norma quae in § 2 huius canonis datur, in connexionione cum can. 442, non paucas difficultates practicas afferre potest, si Episcopus auxiliaris ad officium Administratoris dioecesanis non eligitur, ideoque manere debeat sub regimine Presbyteri qui electus sit a Collegio consultorum. Magis vero conveniens videtur ut: a) ubi Episcopus auxiliaris vel Episcopi auxiliares adsunt, sit Administrator dioecesanus ipse Episcopus auxiliaris, vel antiquior ex ipsis, nisi Sancta Sedes aliter disposuerit; a) ubi non habetur Episcopus auxiliaris, servetur norma can. 442 (Card. Jubany).

R. Textus manere potest uti est, quia:

a) nulla est incongruentia si presbyter nominetur Administrator dioecesanus;

b) adiuncta dari possunt propter quae non expediat ut Episcopus auxiliaris fiat ipso facto Administrator dioecesanus;

c) norma taxativa in sensu proposito ab animadversione esset contra Decr. Christus Dominus, n. 26.

Ad cann. 379-388

Eae Synodi ex traditione erant instrumenta in manu Episcopi ad bonum animarum promovendum, fidem firmandam, disciplinam corroborandam. At tempore praesenti, sicut pro Conciliis particularibus evenit,

etiam Synodi dioecesis factae sunt possibilis occasio perturbationis et damni pro regimine Ecclesiae, quibus Codex, quantum fieri potest, occurrere deberet. Quare aliquot mutationes proponi debent (Card. Bafle).

R. *Textus mutandus non videtur, quia:*

- a) *hi possibiles abusus non proveniunt ex ipsa Synodi natura;*
- b) *Episcopi dioecesis, in exercitio propriae auctoritatis, media utique habent ad hos possibiles abusus praecavendos et si fieri debet coercendos.*

Ad can. 380

1. Proponitur ut § 1 supprimatur ad libertatem tuendam Episcopi in hac materia (Card. Bafle). In eodem sensu Card. O'Fiaich, qui proponit ut loco « decimo saltem quoquo anno » dicatur « vicesimo quinto saltem quoquo anno », et in fine § 1 dicatur « triginta » loco « viginti ».

2. Addantur verba « si tamen, iudicio Episcopi dioecesis, *audito Consilio Presbyterali — et etiam Consilio Pastoralis si adest —* adiuncta id suadeant ... » ut melius perpendantur adiuncta quibus celebratio Synodi differri debeat (Card. Jubany).

R. *Omnibus perpensis animadversionibus, placet ut tempus non determinetur pro celebratione Synodi utque decisio pertineat ad Episcopum dioecesis, audito Consilio presbyterali, non autem simul cum Consilio pastoralis, quia de re agitur ad gubernium dioecesis pertinente. Ideo § 1 ita mutatur: « Synodus dioecesis in singulis Ecclesiis particularibus celebretur cum iudicio Episcopi dioecesis, audito Consilio presbyterali, adiuncta id suadeant ».*

Ad can. 382

1. Quaedam mentio fiat in § 2 de invitatione ad Synodum catholicorum aliorum rituum (Card. Parecatil).

R. *Sufficere videtur quod in § 2 dicitur: « vocari possint alii ».*

2. In § 1, n. 5 addantur verba: « ... determinata, in utroque casu eorum numerus non excedat numerum membrorum Consilii presbyteralis ».

ralis ». Ratio est ut numerus sodalium Synodi limitetur et etiam ad vitandum quod presbyteri, qui secundum Codicem Pio-Benedictinum formabant totalitatem membrorum Synodi dioecesis, nunc ad minoritatem reduci possint (Card. Bafle).

R. *Animadversio non recipitur, quia intelligi posset quasi suspicio quod Episcopus non sit prudens, vel quod laici sint periculosi. Attamen, claritatis causa, n. 5 ita completur: « christifideles laici etiam sodales Institutorum vitae consecratae ».*

3. In § 2 haec addantur verba: « ... laici, quorum omnium numerus non excedat numerum membrorum consilii presbyteralis », ad hoc ut numerus eorum, quos Episcopus libere vocat, contineatur, ita ut eorum numerus congrue inferior maneat numero eorum quos Episcopus vocare debet (Card. Bafle).

R. *Non recipitur animadversio propter easdem rationes ac in praecedenti animadversione.*

4. Novus textus § 3 proponitur, nempe: « Ad Synodum ab Episcopo dioecesano, si id opportunum duxerit, quicumque alii uti hospites invitari possunt, ita tamen ut eorum numerus non excedat numerum Sodalium de quibus in § 2 ». Ratio est quia excessivus numerus hospitum non confert ad planam et bene ordinatam Synodi celebrationem (Card. Bafle).

R. *Additio proposita non videtur necessaria.*

5. Opportunum esset ut omnes parochi ad Synodum dioecesanam vocari debeant (Card. Siri).

R. *Iuxta normas canonis hoc fieri potest, sed non videtur opportunum ut omnibus imponatur dioecesis, etiam magnis.*

(Ex officio: In n. 9, ut textus sit completus, additur « ... Institutorum religiosorum et Societatum vitae apostolicae, quae ... »).

Ad can. 384

1. Ut pateat ius statuendi res tractandas ad Episcopum spectare, haec addantur verba in § 1: « ... quarum est, sub ductu ipsius Episcopi, res ... » (Card. Bafle).

2. Supprimatur totus canon, quia de rebus nimis particularibus agit, quae potius ad Regulamentum pertinent (Card. Jubany).

R. *Duabus animadversionibus perpensis, expedire videtur ut Episcopus liber maneat quoad modum praeparandi Synodum, quapropter canon supprimitur.*

Ad can. 385

1. Loco « adstantium » dicatur « sodalium », quia nulla videtur ratio cur hospites, etiam non catholici, ius habere debeant in disceptationem interveniendi (Card. Bafle).

R. *Recipitur animadversio.*

2. Nova addatur paragraphus sequentis tenoris: « § 2. Etiam pro Synodo dioecessana servetur praescriptum can. 320, § 2 » (agitur de novo textu ab ipso Patre proposito (Card. Bafle).

R. *Additio proposita non accipitur, quia admissus non est textus ad quem referentiam facit animadversio.*

Ad can. 387

(Ex officio: *Cum nimiam centralisationem secumferret obligatio transmittendi omnes textus Synodi ad Sanctam Sedem et haec praeterea obligatio in C.I.C. a. 1917 non imponatur, textus, sic emendandus censetur: « Episcopus dioecessanus textus declarationum ac decretorum synodaliū quamprimum communicet cum Metropolita necnō cum Episcoporum Conferentia »).*

Ad can. 388

1. Post can. 388 novus addatur canon de conventibus Episcoporum interritualibus, in certis regionibus iam in usu variis sub denominationibus (Card. Parecattil).

R. *Novus canon propositus non videtur necessarius in Codice latino.*

2. Novus addatur canon, nempe: « Contra decreta Synodi dioecessanae non datur recursus ad Tribunal administrativum de quo in cc. 1689

et sequentibus, sed tantum recursus hierarchicus et, si casus ferat, recursus ad Supremum Tribunal Apostolicae Signaturae ad normam can. 1397 § 3 ». Ratio est quia secus nullum datur remedium, si forte in decretis synodalibus aliquid iniustum statuatur vel in aliquo puncto ius universale Ecclesiae non servetur (Card. Bafle).

R. *Additio proposita non recipitur, quia normae de recursibus habentur in cann. 1688-1715 de procedura administrativa.*

Ad can. 389

1. Aptius dicatur « in regimine et actione pastoralis universae dioecesis, scil. in cura animarum, in administratione ... » (Card. Jubany).

R. *Textus manere potest uti est, quia regimen complectitur actionem pastorem, a qua nullo modo disiungi valet.*

2. Dicatur quod Episcopus officia instituere potest iuxta necessitates dioecesis (Card. Siri).

R. *Additio non videtur necessaria, quia patet.*

Ad can. 393

Addantur verba in fine § 4: « ... Vicariis episcopalibus, Moderatore Curiae, si habetur, et aliis qui administrationem dioecesanam in nomine episcopi dioecesani exercent », quia adunationes quibusdam in dioecesibus iam fiunt Episcopum inter et Vicarios suos et alias personas (etiam diaconos, religiosos et laicos), quae varia officia administrativa Curiae dirigunt (Exc. Bernardin).

R. *Additio proposita recipi non potest, quia ita mutaretur ipsa natura Consilii episcopalis, cuius est peculiaris et arcta cooperatio cum Episcopo dioecetano in iis quae ad universum regimen pastorale dioecesis pertinent.*

Ad can. 394

Claritatis et certitudinis iuridicae causa, dicatur an subsignatio cancellarii vel notarii Curiae eorumque qui vices ipsorum agunt, sit ad validitatem (Card. König).

R. Textus mutandus non videtur, quia patet solummodo Ordinarii subsignationem requiri ad validitatem.

Ad cann. 395-401

Agatur tantum de Vicariis generalibus, non autem de Vicariis episcopalibus. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate (Card. Wyszyński).

R. Animadversio non recipitur. Supprimi non potest figura Vicarii episcopalis, quia de ipsa agitur in Decr. Christus Dominus, n. 27, nec non in documentis applicativis Concilii, praesertim in M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 14.

Ad can. 398

Addantur verba in § 1: « ... prudentia, visione et experientia pastoralis ... » (Exc. Falcão).

R. Cfr. responsio ad animadversionem circa can. 345 § 1.

Ad can. 401

Addantur verba in fine § 2 iuxta M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 14, § 5: « ... sint; expedit tamen ut Administrator dioecesanus iis, tamquam suis delegatis, utatur, ne bonum dioecesis ullum detrimentum capiat » (Card. Jubany).

R. Additio proposita expedire non videtur in C.I.C.: melius est ut res relinquatur prudentiae Administratoris dioecesani.

Ad can. 402

(Ex officio: Inscripto Art. 2 ita mutatur, simplicitatis et claritatis causa: « DE NOTARIIS ET DE ARCHIVIS »).

Ad can. 403

Addantur verba, forsitan in § 2, quae habentur in can. 373, § 3 C.I.C., nempe: « ... sed notarius in criminalibus clericorum causis debet esse clericus » (Card. König).

R. *Animadversio recipitur. Ideo additur in § 2: « ... possit, notarius debet esse sacerdos ».*

Ad can. 405

Norma non videtur iusta, praesertim si de laicis agatur, qui contractum laboris habere debent (Card. Willebrands).

R. *In huiusmodi contractibus prudentes clausulae revocatoriae poni semper debent.*

Ad can. 411

Addatur in § 2: « ... archivum historicum, cui praesit archivarius, atque ... », quia oportet ut figura iuridica archivarii in novo C.I.C. inseratur, attentis quoque exigentiis mundi scientifici internationalis (Card. Oddi).

R. *Additio proposita non videtur necessaria, quia subintellegitur.*

Ad can. 414

Attenta specifica qualificatione huius peculiaris muneris, oeconomus nominetur absque temporis limitatione (Card. König).

R. *Maneat textus, quia norma est satis ampla: dicitur enim « ad alia quinquennia nominari potest », sine alia determinatione. Sed prudentia suadet ut nominatio fiat ad tempus, licet renovari possit quoties id opportunum sit.*

Ad cann. 415-422

Placet quod sobrie et simul complete leges conduntur de Consilio presbyterali ad mentem Concilii Vaticani II. Placet praesertim libertas

Episcopi, attentis quidem normis Conferentiae Episcopalis (can. 416), normae de unione cum Episcopo et de voto consultivo (can. 420) et normae de Collegio Consultorum (can. 422), cuius utilitas est evidens (Card. Rugambwa). In eodem sensu Card. Rosales. Contrariam sententiam tenet Card. Siri, qui aestimat hos canones fovere posse formam democraticam gubernationis dioeceseos.

R. *Normae paratae sunt iuxta litteram et mentem praescriptorum Concilii. Consilium presbyterale « gaudet voto tantum consultivo »* (can. 420 § 2), *ideoque forma democratica in regimine dioecesis, quae quidem esset contra Ecclesiae constitutionem divinam, dari non potest.*

Ad can. 415

1. Definitio generalis Consilii presbyteralis omnino infelix evadit. Non placet Consilium presbyterale tamquam « senatus Episcopi » in oppositione ad Capitulum Cathedrale. Praeterea Consilium presbyterale non potest esse coetus « presbyterium repraesentans »: hoc sapit ac si habeatur pugna classium (« lotta di classe ») inter Episcopos et presbyteros (Card. Wyszyński).

R. *Animadversio recipi non potest, quia:*

a) *verba « senatus » et « presbyterium repraesentans » desumpta sunt ex Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 7 (cfr. etiam M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 15, § 1);*

b) *periculum de quo agitur in animadversione, etsi possibile sit, fundamento omnino careret: sive ex traditione Ecclesiae (cfr. Decr. Presbyterorum Ordinis, nota 41), sive ex contentu ipsarum normarum novi C.I.C.*

2. Dicatur « ex tribus saltem sacerdotibus », quia iuxta can. 739 verbum « missionarii » comprehendit etiam laicos (Exc. Stewart).

R. *Recipitur animadversio, sed dicitur « presbyteris » loco « sacerdotibus » quia verbum « sacerdos » comprehendit etiam episcopum.*

Ad can. 417

Dicatur ut pars a sacerdotibus ipsis libere electa sit saltem *dimidia* pars sodalium Consilii presbyteralis; alia *dimidia* pars constituatur a

sacerdotibus qui sint « membra nata » (n. 2) et ab Episcopo nominati (n. 3). Ratio est ut vitentur locutiones indeterminatae « congrua eorum pars » (n. 1) et « aliquos » (n. 3), utque aptius canon tueatur repraesentationem totius Presbyterii dioecese in Consilio presbyterali (Card. Florit). In eodem sensu Card. König.

R. *Recipitur animadversio, ita ut textus n. 1 ita emendatur: « 1) dimidia circiter pars libere eligatur ... ».*

Ad can. 418

1. Fiat distinctio inter eos qui ius electionis tum activum tum passivum habent et eos qui votum tantum activum habere debent; votum passivum tribui non deberet Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus (praesertim si partem habent in Consilio episcopali), neque sacerdotibus saecularibus qui extra dioecesim habitualiter degunt. Saltem sequentes fiant emendationes: in § 1, 1), addantur verba « ... incardinati, nisi in alia commorentur »; dicatur in novo numero: « Vicarii generales et episcopales voto activo gaudent, non autem passivo » (Card. Jubany).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia:*

a) *nullibi in schemate novi Codicis statuitur Vicarios generales vel Vicarios episcopales esse membra nata Consilii presbyteralis, nec quicquam ob stare videtur quominus ipsi eligantur vel nominentur ut partem efforment eiusdem Consilii;*

b) *sacerdotes saeculares extra dioecesim habitualiter degentes ordinarie non eligentur ut sint membra Consilii presbyteralis, sed non debent propter hoc iure suo privari.*

2. Dicatur in § 1, 2): « ... sodales alicuius Instituti vitae consecratae aut Societatis vitae apostolicae in dioecesi commorantes et laborem apostolicum cum Episcopi beneplacito exercentes » (Card. Pironio).

R. *Propositio recipitur iuxta modum, ita ut textus § 1, 2) ita emendatur: « ... qui in dioecesi commorantes, in eiusdem bonum aliquod officium exercent ».*

3. Dicatur in § 1: « Qui habent ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum a statutis determi-

nandi sunt, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis », quia sic vitantur abusus, ex. gr., ut eligantur sacerdotes qui illegitime extra dioecesim degunt, vel ut ius electionis habeant qui ministerium dereliquerunt (Exc. Bernardin).

R. *Animadversio admitti non posse videtur, quia nimium locum arbitrio relinqueretur. Per se, qui sunt incardinati ius habent electionis, attamen, si illegitime absunt vel ministerium non exercent, Episcopus dioecesanus potest hoc ius ipsis auferre. Nihilominus, adiungi possunt forsitan verba « ad normam statutorum », quae aequivalent ad praescriptum can. 312 schematis praecedentis.*

Ad can. 419

Addantur verba: « ... ratione habita diversitatis aetatum, ministeriorum ... » (Exc. Stewart).

R. *Additio necessaria non videtur.*

Ad can. 420

1. Addatur in § 2, uti factum iam est in can. 279 pro Synodo Episcoporum et ad mentem Litterarum S. Congregationis pro Clericis: « ... consultivo, nisi certis in casibus Episcopus potestatem deliberativam eidem concedat » (Card. Jubany). In eodem sensu Exc. Bernardin, qui postulat ut Conferentia Episcopalis determinet casus in quibus Consilium presbyterale habere debet votum deliberativum.

R. *Additio proposita non videtur necessaria neque opportuna, propter fidelitatem servandam tum erga Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 7, tum erga M.P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 15 § 3. Esset praeterea periculosum quod Episcopus indebite renuntiet suae potestati, et sufficere videtur praescriptum can. 124, § 2. Votum deliberativum suppressum fuit post consultationem, proponentibus pluribus. Quidquid sit minime oportet quod haec competentia tribuatur Conferentiis Episcoporum.*

2. Dicatur (cfr. can. 553) ut Consilii presbyteralis consensus vel consilium « exquirenda sunt ad normam can. 124, § 1 » (Card. Florit).

R. *Additio non censetur necessaria, quia norma generalis can. 124 applicatur semper, nisi exceptio statuatur.*

Ad can. 421

Addantur verba in § 3: « ... audito Collegio Consultorum et facta consultatione cum Metropolitano », ut alia vox audiatur, quia membra Collegii Consultorum ab ipso Episcopo libere nominantur (Card. König).

R. *Animadversio recipitur iuxta modum, nempe placet ut dicatur « facta consultatione cum Metropolitano », loco « audito Collegio consultorum ».*

Ad can. 422

1. Supprimantur in § 1 verba « Inter membra Consilii presbyteralis », quia non adest valida ratio ut ita sit: functiones duorum collegiorum sunt diversae naturae sicut etiam modus et tempus ad quod ipsorum membra nominantur (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Maneat textus uti est, quia Collegium consultorum intelligitur ut coetus restrictus Consilii presbyteralis, valde utilis praesertim in magnis dioecesibus, ut quaestiones pertractet quae submitti nequeunt Consilio presbyterali, nisi ipsum frequenter convocetur. Sunt praeterea quaestiones quae non expedit ut a multis examinentur, quia pertractandae sunt cum quadam prudenti discretionem.*

2. Quid faciendum si vacatio sedis episcopalis habetur statim post expletum quinquennium nominationis Collegii Consultorum et ante ipsius renovationem? (Card. Florit).

R. *Recipitur animadversio et, ad mentem, additur in fine § 1: « ... determinata; expleto tamen quinquennio munera sua propria exercet usquedum novum Collegium constituatur ».*

3. Addantur verba in § 3: « ... committantur vel Collegio consultorum et Capitulo in unum convocatis », ut habeatur quoque tertia possibilitas de qua in praecedenti schemate 1977 (Card. Florit).

R. *Huic animadversioni responsum iam datum est (cfr. can. 371).*

4. Non iustificatur necessitas Collegii Consultorum si iam habetur Consilium presbyterale (Card. Wyszyński).

R. *Animadversio non recipitur: hoc Collegium iustificari videtur propter rationes quae in responso ad 1) exponuntur.*

5. Quo melius pateat unitas Collegii consultorum cum Consilio presbyterali, non determinetur numerus maximus membrorum huius Collegii, et eorum duratio in munere determinetur in statutis Consilii presbyteralis (Exc. Bernardin).

R. *Propositio admitti non potest, quia Collegium consultorum est organum independens a Consilio presbyterali.*

6. Quaedam confusio videtur adesse inter functiones Consilii presbyteralis et Collegii consultorum (Exc. Pimenta).

R. *Non habetur confusio, quia munera Collegii consultorum determinata sunt singulis in locis, ratione materiae; alias functiones non habet.*

Ad can. 423

1. Oportet ampliare facultates Capituli Cathedralis, quia reductio harum facultatum perturbationem parat (Card. Wyszyński).

2. Ita compleatur textus: « ...collegiale sunt sacerdotum collegia, quorum est *Liturgiam horarum, celebrationem eucharisticam* et functiones liturgicas sollemniori et communitario modo in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere ... »: cfr. « Institutio generalis de Liturgia Horarum », n. 31, a) et « Institutio generalis Missalis Romani », n. 76 (Card. Florit).

R. *Duabus animadversionibus perpensis, sufficiens existimatur quod in canone dicitur.*

Ad can. 425

Addantur verba: « ... condita vel reformati ad mentem huius novi Codicis atque ... », quia aliqua Capitula adhuc hodie reguntur antiquissimis statutis, etiam contra Concilium Vaticanum II, nec ea immutare volunt (Card. Ribeiro).

R. *Ratio allata in animadversione est vera et accipienda, sed non in Codice: hoc enim praescriptum contineri debet in aliqua norma transitoria extra C.I.C. ponenda, forsitan in Const. Apostolica qua Codex promulgetur, nam norma haec valet pro omnibus Statutis, Constitutionibus religiosorum, etc.*

Ad cann. 431-434

Placent canones, sed exoptatur ut addatur explicita prohibitio Consilii pastoralis supradioecesanī, propter pericula bene nota (Card. Rugambwa). In eodem sensu Card. Rosales.

R. Ratio allata est iusta, sed canon uti iacet sufficere videtur, quia iam in recognitione textus post consultationem consulto additum fuit « ea quae opera pastoralia in dioecesi spectant ».

Ad can. 431

Ratio constitutionis huius Consilii (« quatenus pastoralia adiuncta id suadeant ») modo diverso exprimitur ac in Decr. *Christus Dominus*, n. 27 (« valde optandum est ») aut in M.P. *Ecclesiae Sanctae*, n. 16 (« valde commendatur ») (Card. König).

R. Textus servandus videtur uti est, quia per ipsum satis providetur diversis adiunctis.

Ad can. 433

Exoptatur unificatio quaedam inter normas Consilii presbyteralis et normas Consilii pastoralis, quia utraque sunt a Concilio constituta, ambitu dioecetano et magnae utilitatis pastoralis (Card. Jubany).

R. Animadversio recipi non potest, quia natura et competentia utriusque Consilii sunt inter se diversae.

(Ex officio: *Claritatis causa, in fine § 2 dicitur « cessat », loco « extinguitur ».*)

Ad can. 435

Quis discernit quando sedes sit impedita? Ex. gr. si Episcopus in amentiam decidat, debetne ipse declarare, vel Metropolita, vel Consilium presbyterale? (Exc. Stewart).

R. Nisi Sancta Sedes discernat, decisio competit personae de qua in § 1 vel, ea deficiente aut impedita, Collegio consultorum (cfr. § 3).

Ad can. 442

1. Deleantur verba « usque ad constitutionem Administratoris dioecesani », quia sede vacante Administrator dioecesanus debet esse Episcopus auxiliaris, vel si plures sint eorum ordinatione episcopali antiquior; ne evacuetur dignitas ministerii episcopalis (Card. Jubany).

R. *Rationes propter quas proposita animadversio recipi nequit iam expositae sunt in responso ad observationem factam circa can. 376.*

2. Oportet ut clarificetur quid significant verba « promotione antiquiorem »: agitur de litteris nominationis vel de receptione ordinationis episcopalis? (Card. König).

R. *Ex textu patet agi de eo qui prius recepit litteras nominationis, non de antiquiore propter consecrationem episcopalem.*

Ad can. 451

(Ex officio: *In § 2 haec introducitur emendatio: « ... Curiae dioecesanae documenta ... »*).

Ad can. 453

(Ex officio: *Mutatur ordo paragraphorum huius canonis, quia magis logicum videtur agere prius de cessatione et deinde de remotione.*)

Ad cann. 454-491

1. In hoc Capite agitur 1) de Paroeciis; 2) de Parochis; 3) de Moderatore; 4) de Vicariis paroecialibus. E quibus constat quod materia est sat ampla et etiam sat intricata. Desideratur ut verbum « Moderator » appareat in titulo utque divisiones internae magis clarae sint, etiam ad bene intelligendum munera et facultates Moderatoris (Card. Satowaki).

R. *Animadversio admitti nequit quia:*

a) *structura horum canonum composita est attentis petitionibus multorum perdurante consultatione;*

b) *figura iuridica Moderatoris, seu paroeciae pluribus sacerdo-*

tibus in solidum commissae, est casus exceptionalis et poni nequit in eadem linea ac ordinaria figura parochi;

c) oportet ut de paroeciis et de parochis simul tractetur.

2. Commissio paroeciae pluribus in solidum sacerdotibus sit casus vere exceptionalis, et hoc prudentiae causa clarius dicatur in can. 456 § 1. Praeterea hoc in casu Moderator responsabilitatem personalem assumat in gubernatione paroeciae, ita ut non appareat sub respectu iuridico tamquam « primus inter pares » (Card. Rosales).

R. Clare apparet ex canonis redactione hunc casum esse vere exceptionalem. Non est regula, sed norma applicanda tantummodo « ubi adiuncta id requirant ». Quoad functionem Moderatoris, cfr. responsum ad 3^{am} animadversionem circa can. 456.

Ad can. 456

1. Tollatur § 1, quia norma esset revera nociva (Card. Wyszyński).

R. Plures rogaverunt ut haec norma introducatur in novo C.I.C., quia, etsi a Concilio Vat. II sancita non sit, videretur utilis quibusdam in adiunctis.

2. In § 1 loco participationem « in exercitio curae pastoralis » dicatur « administrationem cum aliqua cura pastoralis » (Card. Palazzini).

R. Maneat textus canonis, quia formula proposita non bene intelligitur.

3. Expedit ut clarius determinentur in § 1 relationes inter Moderatorem et ceteros sacerdotes coetus, praesertim relate ad modum quo decisiones capientur quando omnium sententia non sit unanims. Dicatur utrum, hoc in casu, Moderator « potestate parochi instructus » decisiones per se ipsum capere valeat postquam alios sacerdotes audierit, an, e contra, decisio esse debeat collegialis, per maioritatem nempe suffragiorum, quo quidem in casu Moderator non erit nisi « primus inter pares » (Card. König).

R. Verba § 1 « actionem coniunctam dirigant » significare intendunt talem actionem esse collegialem. Omnes enim sacerdotes quibus in solidum paroecia committitur facultatibus iuridicis gaudent quae pro-

priae sunt parochi. De hac quaestione cfr. etiam Communicationes, vol. VIII, n. 1, 1976, pp. 29-31.

4. Ita compleatur textus § 2: « ...concredendam esse, modo extraordinario et temporario, alicui personae ... instructus, *exerceat officia de quibus in can. 244* », quia ministeria pastoralia hoc modo tantum laicis concredi possunt (Exc. Falcão).

R. *Etsi ratio vera quidem sit, additiones propositae non videntur necessariae quia: a) iam dicitur in initio « Si ob sacerdotum penuriam »; b) expressio finalis « curam pastorem moderetur » latius patet quam « exercent officia de quibus in can. 244 ».*

5. In § 2 addatur verbum: « ...esse *diacono* vel ... », quia haec etiam habetur possibilitas (Exc. Bernardin).

R. *Additio introducenda non videtur, quia patet: diaconi semper habent, modo quidem ordinario et permanenti, « participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae ». Norma huius § respicit tantum participationem concreditam aliis christifidelibus qui nullum gradum sacerdotii ministerialis receperunt.*

Ad can. 459

1. Dicatur: « ... *Societative clericorum vitae apostolicae* », quia locutio « *Societative clericorum* » non concordat cum locutione quae adhibetur in can. 418, § 1 (Card. Jubany).

R. *Accipitur animadversio. Praeterea, cum paroecia non committatur Instituto saeculari, sed sacerdoti determinato eius sodali, loquendum non est de Instituto vitae consecratae, sed de Instituto religioso. Demum, loco verbi « Moderatoris » dicendum est « Superioris ».*

Textus igitur § 1 ita manet: « ... de consensu competentis Superioris, paroeciam committere Instituto religioso clericali Societative vitae apostolicae, etiam ... ».

2. Prae oculis habitis adiunctis historicis, oporteret Conferentiis Episcopalibus maiorem potestatem in hac materia tribuere, etiam propter implicationes ordinis oeconomici (Card. König).

R. *Animadversio recipienda non censetur, quia agitur de quaestione quae potius spectat ad Episcopum dioecesanum.*

Ad can. 461

1. Ita compleatur textus: « ... Parochus stabilitate *quam animarum bonum requirit* gaudeat oportet ... », quia Concilium (*Christus Dominus*, n. 31) concordat de quadam stabilitate parochorum his verbis: « Parochi gaudeant stabilitate in officio quam animarum bonum requirit ». Iamvero textus canonis videtur adversari Decreto Concilii sub duplici capite: a) « ad tempus indefinitum » intelligi potest in praxi « ad nutum Episcopi » et tunc debitae stabilitati parochorum nocetur; b) vel e contra, ex parte parochi « ad tempus indefinitum » intelligi potest tamquam in praxi « inamovibilis » (Card. Cooray).

R. *Textus manere potest uti est. Hac de re satis providetur in canonicis de amotione ab officio.*

2. Ita emendetur textus:

« Parochus stabilitate gaudeat oportet ideoque *ordinarie* ad tempus indefinitum nominetur. Attamen ad certum tempus ab Episcopo dioecesano nominari potest, *si id a Consilio presbyterali pro tota dioecesi opportunum visum fuerit et normis ab Episcoporum Conferentia regionis respondeat, a Sancta Sede approbatis* ». Ratio est quia diversa sunt adiuncta in singulis dioecesibus eiusdem Conferentiae Episcopalis (Card. Jubany).

3. Simplicior modus esset si in unaquaque dioecesi per statutum, cum consensu Consilii presbyteralis, Episcopus (etiam ad experimentum) decernat tempus definitum pro omnibus officiis (Card. Cooray).

R. *Animadversiones non videntur recipiendae, quia norma in canone statuta videtur prudentiae respondere.*

(Ex officio: *Claritatis et simplicitatis causa, expunguntur verba « regionis » et « ad normam can. 330 § 2 editum »*).

Ad can. 464

Dicatur in n. 2: « parochos *ad quinquennium* nominare », ne vacatio paroeciae per annum protrahatur quod bonum non videtur (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Animadversio recipienda non censetur, quia:*

- a) *adversaretur principio « sede vacante nihil innovetur »;*
b) *sufficenter provideri potest in casu per nominationem vicarii paroecialis.*

Ad can. 467

1. Dicatur « ... aut qui *catholicam* fidem non profitentur », ratione oecumenismi (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Animadversio admitti nequit, quia fides catholica est unica vera fides. Redactio autem quae proponitur intelligi posset ac si ceterae aliae essent quoque verae.*

2. Eae normae sicut et quae in can. 468 continentur potius ad Directorium pastorale pertinere videntur (Card. Jubany).

R. *Servatur textus quia a multis postulatus est.*

3. Addatur sequens § 2: « Foveat munus diaconale Ecclesiae et fideles in officiis eorum socialibus adimplendis adjuvet, eosque exhortetur ut pro posse contribuant ad necessitates tum spirituales tum materiales leniendas » (Card. Willebrands).

R. *Additio non videtur necessaria, quia sufficiunt normae cann. 467 et 468.*

Ad can. 468

1. In § 1 optatur ut aliquid dicatur de cura familiarum praesertim christianarum, sed etiam de sponso catholico in matrimonio mixto. Dicatur etiam quod spiritu « apostolicus et missionarius » fovendus est (Card. Satowaki).

R. *Iam provisum est in can. 1082.*

2. Estne aliquid dicendum hic de Consilio pastorali, de quo in can. 475, § 1? (Card. König).

R. *Sufficere videntur ea quae prostant in can. 475.*

3. Explicitius agatur in § 1 ad mentem can. 468 § 1 C.I.C. de sollicita cura aegrotorum maxime quidem qui sunt morti proximi (Card. Siri).

R. *Animadversio ita recipitur: « ... corrigens; aegrotos, praesertim morti proximos, effusa caritate adiuvet, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando; peculiari ... ». Et in lin. 6 deletur « et aegrotantes ».*

Ad can. 469

1. Hic vel in can. 545 addatur praescriptio can. 514 C.I.C. quoad Viaticum et Unctionem infirmorum (Card. Pironio).

R. *Additio proposita non est necessaria, quia:*

a) *in canone agitur de functionibus specialiter parochis commissis, non autem ipsi exclusive reservatis, nisi aliud constet;*

b) *huic praeterea propositioni iam providetur per cann. 874 et 956.*

2. Addantur verba: *« Functiones specialiter parochis commissae, ita ut ipse per se vel per alium idoneum sacerdotem, prae aliis autem vicarios paroeciales, eas celebrare tenetur, sunt quae sequuntur ... », ut melius eluceant relationes parochum inter et vicarios suos (Card. Freeman et Exc. O'Connell).*

R. *Additio proposita non videtur necessaria. Dicitur enim « functiones ... commissae », non autem « reservatae ».*

3. Quoad normam de qua sub n. 2), nihil dicitur in Ordine Unctionis infirmorum diei 7 decembris 1972 (Card. König).

R. *Admittitur animadversio, et expungitur n. 2.*

Ad can. 470

(Ex officio: *Cum verba « officium » et « ministerium » habeant concretum sensum technicum, eorum loco adhibendum est hoc in canone verbum « munus », in prima et in ultima linea. Ita praeterea congruentia habetur cum expressione « paroecialium munerum », quae legitur in can. 472 § 1).*

Ad can. 471

Addantur verba: « ...et ad normam iuris particularis », ut prae oculis habeantur varia adiuncta singularum nationum (Card. König). In eodem sensu Card. Willebrands.

R. *Additio proposita necessaria non videtur, quia dicitur « ad normam iuris », quod ius potest etiam esse particulare. Praeterea, in cann. 1232-1239 saepe fit remissio ad ius particulare.*

Ad can. 472

In fine § addantur verba « ...manere et ab eo consensum obtinere » (Card. Siri).

R. *Non censetur necessaria additio proposita, quia subintelligitur.*

Ad can. 474

1. In hoc canone semper mentio fit de « parrocho », sed nihil dicitur de « moderatore » paroeciae (Card. Satowaki).

R. *Parochus est figura iuridica ordinaria, et necessarium non est ut in hoc canone mentio fiat de moderatore.*

2. Sunt dioeceses in quibus non habetur liber confirmatorum sed conscriptio de confirmatione recepta fit in ipso libro baptizatorum; ideoque remittatur res ad ius peculiare (Card. König).

R. *Recipitur animadversio. Ideo expungitur verbum « confirmatorum », in § 2, lin. 2. Re quidem vera hic liber confirmatorum habetur in Curia dioecesana, ex qua notitiae transmittuntur parochis, qui adnotationes scribunt in libro baptizatorum.*

Ad cann. 475-476

Oporteretne praevidere aliquam connexionem seu relationes consilium pastorale inter et consilium a rebus oeconomicis? (Card. König).

R. *Nulla conexio praevidenda est, quia agitur de organis diversis.*

Ad can. 475

1. Aptius in luce ponatur momentum huius instituti (Card. Marty).

R. *Videtur sufficere textus canonis.*

2. In § 2 deleatur verbum « tantum », quia tollit pondus Consilio pastorali et dicatur: « ... regitur *statutis dioecesanis*, attentis normis ab Episcoporum Conferentia latis », ut habeatur unitas in toto territorio Conferentiae » (Exc. Bernardin).

R. *Maneat textus schematis ut vigeat et ubique servetur norma de natura mere consultiva huius Consilii, quia « parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastoralis communitatis sibi concreditaef defungens sub auctoritate Episcopi dioecesani » (can. 458). Interventus legislativus Conferentiae Episcoporum non videtur necessarius; ad normas particulares condendas provideat Episcopus dioecesanus, qui potest quidem hac de re informationum et experientiarum communicationem habere cum ceteris membris Conferentiae, quin ex hoc tamen edi debeant normae iuridice vinculantes.*

Ad can. 476

Addatur « ... ab Episcopo dioecesano et ab Episcoporum Conferentia latis ... » (Exc. Bernardin).

R. *Animadversio non recipitur, quia etiam in hac materia non videtur necessarius interventus legislativus Conferentiae. Provideant propria auctoritate singuli Episcopi dioecesani, servatis normis quae iam traduntur in iure universali (cfr. cann. 471 et 1232-1239).*

Ad can. 477

1. Potestne Conferentia Episcoporum vel Episcopus dioecesanus statuere ut aetas qua senectutis pensio pro parocho incipiat sit 65 annorum, nempe congruens aetas lege civili determinata? (Card. Willebrands).

2. Aetas 75 annorum videtur nimia pro nationibus tropicis (Exc. Pimenta).

R. *Servetur norma, uti factum est pro Episcopis in can. 368 § 1.*

(Ex officio: *Iuxta ea quae exposita sunt circa can. 459, ad 1, redactio § 1 ita mutatur: « Parochus qui est sodalis Instituti religiosi aut Societatis vitae apostolicae ad ... ». Praeterea in § 3 dicatur: « expleto sexagesimo quinto aetatis anno, rogatur ut renuntiationem ab officio exhibeat Episcopo dioecetano ... », suppresso verbo « proprio », quia parochus paroeciam obtinere potest etiam in dioecesi in qua non est incardinatus.*

Ad can. 478-479

(Ex officio: *His duobus in canonibus loco « a loci Ordinario » potius dicendum est « ab Episcopo dioecetano », quia expedit ut actus in can. 478 et in can. 479 § 1 recensiti peragantur ab ipso Episcopo, non autem ab aliis Ordinariis loci, inconsulto Episcopo. In magnis autem dioecesibus, Episcopus dioecetanus poterit mandatum dare Vicario vel Vicariis, ut et ipsi hac in re habitualiter agere valeant, excepta, uti patet, delegatione potestatis legislativae).*

Ad can. 480

Dicatur « sacra ordinatione antiquior » (Exc. Stewart).

R. *Aptius videtur formula prout iacet.*

Ad can. 484

Exoptatur ut quaedam dentur determinationes circa munera seu facultates pastorales quae tribui possunt laicis (sic dictis « Pastoralssistentes ») et etiam diaconis permanentibus. Ratio est ut foveatur recta unitas actionis pastoralis (Card. König).

R. *Sufficere videtur quod dicitur in can. 475.*

Ad can. 486

(Ex officio: *In lin. 1 dicitur « Episcopus dioecetanus », loco « Ordinarius loci »).*

Ad can. 488

Brevis absentia parochi conexas cum incertitudine iuridica can. 472, § 3, ducere potest ad applicationem normarum can. 480, § 1, idest

ut regimen paroeciae assumat Vicarius paroecialis cum *omnibus* parochi obligationibus ideoque et iuribus. Ne hoc eveniat etiam quoad actus extraordinarios regiminis paroecialis, addatur in hoc can. 488 aliqua clausula prudentialis, ex. gr. « in regime ordinario paroeciae » (Card. Florit).

R. *In casu absentiae, pari iure viget principium « sede vacante nihil innovetur », ideoque sufficit textus canonis uti iacet.*

Ad can. 489

In § 1 loco « in paroecia » dicatur « in domo paroeciali » (Card. Wyszynski).

R. *Animadversio non recipitur, quia etsi quod proponitur exoptandum quidem sit, stricta obligatio residendi in domo paroeciali non semper adimpleri potest.*

(Ex officio: a) *Ut textus simplificetur, in § 1 expunguntur verba « secundum praescripta ... praescriptum »;* b) *ita redigitur § 2: « Curet ... et vicarios aliqua vitae communis consuetudo in domo ... »).*

Ad can. 491

In canonibus de paroeciis (et hic est ultimus canon) nihil dicitur de connectione paroeciae cum structuris pastoralibus supraparoecialibus, neque de parvis communitatibus, pro quibus forsitan utile esset quasdam normas statuere (Card. Jubany).

R. *Necessariae non videntur propositae additiones, quia sufficit praescriptum can. 455 § 2.*

Ad can. 492

1. Addantur verba: « Vicarius foraneus, qui *verbi gratia* et decanus vel archipresbyter *vel alio nomine* vocatur », quia nomina sunt diversa in variis nationibus (Card. Florit).

R. *Admittitur animadversio ad mentem. Ideo supprimitur « seu decanis » in inscriptione Capitis. Praeterea additur « vel alio nomine » post verbum « archipresbyter », et supprimuntur verba « seu decanatu ».*

2. Addatur in § 2: « et etiam fidelibus expertis aut organis decanatus de consensu episcopi erectis, uti consilio decanatus » (Card. Willebrands).

R. *Iam habentur Consilia pastoralia et paroecialia et dioecesana: non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

3. In § 3 deleantur, quia periculosa, verba: « ... auditis pro suo prudenti iudicio sacerdotibus ... » (Card. Siri).

R. *Aptius videtur ut maneant verba, ad tuendam Episcopi libertatem.*

4. Attenta sacerdotum penuria, deleantur in § 1 verba « quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur » (Exc. Pimenta).

R. *Norma haec non est praeceptiva, ergo textus servari potest prouti iacet.*

Ad can. 493

1. Addatur verbum in § 1 « non necessario ligatur », quia melius est nominare parochum decanum « tamquam primum inter pares » in labore pastoralis (Card. Wyszyński).

R. *Proposita additio recipienda non censetur, quia textus est clarus neque ulla imponitur obligatio.*

2. Addantur verba in § 3: « secundum normas ab Ordinario loci praescriptas » (Card. Wyszyński).

R. *Aptior videtur norma uti iacet in canone.*

Ad can. 494

1. Addatur obligatio rationem reddendi Episcopo dioecesano de statu decanatus (Card. Siri).

R. *Non videtur necessarium: provideat lex particularis.*

2. Addatur § 5: « Curet ut adsint pastores determinatis coetibus, ut sunt operariorum, migrantium, studentium etc., prout in decanatu vivant; qui communi consilio cum pastoribus decanatus collaborent, ita ut omnes activitates bene coordinentur ». Et sequens inseratur novus canon *de conventu decanorum* habendo: « Saltem bis in anno

episcopus vicarios foraneos convocet ut cum ipso curam pastorem eiusdemque possibilitates et difficultates discutiant atque rationem actionis pastoralis statuunt eiusdemque executionem prosequantur et, si casus ferat, modificent et renouent » (Card. Willebrands).

R. *Additiones propositae non videtur necessariae in lege universali. Potest provideri iure particulari.*

Ad cann. 495-502

(Ex officio: *Hoc in capite quaedam addendae videntur normae de cappellanis. Hic praeterea transfertur can. 608*).

Pars III – Sectiones I-II

Animadversiones generales

1. Loco conceptus « Instituti vitae consecratae » alia adhibeatur expressio, ex. gr. « Societas vitae consecratae », quo clarius pateat indoles corporativa harum associationum (Card. Ratzinger).

R. *Animadversio non recipitur, quia vox « Institutum » latius patet quam « Societas ». Agitur enim de Institutis vitae consecratae « per professionem consiliorum evangelicorum »: ea ultima verba, brevitatis causa, suppressa sunt in inscriptione huius Sectionis, sed iam in primo canone habentur (cfr. can. 503, § 1). Praeterea, in relativis documentis Concilii Vaticani II adhibetur verbum « Institutum » (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 45; Decr. *Christus Dominus*, nn. 33 et 35; Decr. *Perfectae caritatis*, n. 1 et passim). Indoles corporativa denique sufficienter patet ex ipsa inscriptione Partis III.*

2. Propono ut in Relatione attentio Patrum attrahatur super factum quod canones de vita consecrata respiciunt pariter viros et mulieres (Card. Bafle).

R. *Prae oculis habendum est talem normam canonis 533 schematis novi C.I.C. iam adesse in Codice a. 1917: can. 490.*

3. Placent hi canones, praesertim cann. 503-505 et placet quoque divisio in titulos, quorum prior normas communes continet, alii vero normas particulares quoad diversas formas vitae consecratae (Card. Rosales).

Ad can. 503

1. Placet canon, quia, contra falsam accommodationem ad nostra tempora, clare statuitur ratio essendi et functio ecclesialis horum Institutorum: Codex enim debet accurate sancire membra horum Institutuum novum acquirere statum in Ecclesia per novam consecrationem additam consecrationi baptismali (Card. Rosales). Contra Card. Willebrands qui censet hunc canonem notiones theologicas et iuridicas confundere.

R. *Canon servandus videtur uti est, quia elementa fundamentalia statuit, et theologica et iuridica, quae propria sunt Institutuum vitae consecratae, etiam iuxta doctrinam Concilii Oecumenici Vaticani II.*

2. In cann. 503-507 nimis restringitur functio Fundatorum. Prae oculis non habentur praescripta Decr. *Perfectae caritatis*: auctoritas enim competens agnoscit opus peractum a Fundatoribus, qui consilia evangelica interpretati sunt (Card. Marty).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia pluries in luce iam ponitur Fundatorum functio (cfr. cann. 505, § 2; 507; 516, §§ 2-3), dum simul intervenit competentis Auctoritatis ecclesiasticae debite sublineatur.*

3. Quoad cann. 503-505 et 526-528, quidam Patres Cardinales (Razafimahatratra, Rugambwa et Krol) transmiserunt propositionem P. Molinari, S.I., circa substitutionem votorum per alia vincula sacra perdurante professione temporanea. (Idem suggerunt Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Haec animadversio a Commissione recipi non potest, quia Summus Pontifex sententiam suam hac de re protulit negativam, uti nobiscum communicatum fuit per Litteras N. 41.829 Secretariae Status, die 12 augusti 1980 datas.*

4. Dicatur in § 1: « Vita consecrata consiliorum evangelicorum professione... Deo summe dilecto totaliter *mancipantur*, ... caritatis perfectionem in servitio Regni Dei *prosequantur*... ». Sic clarius patet consecrationem logice venire ante professionem consiliorum, uti apparet quoque ex plerisque formulis professionis (Card. Pironio).

R. *Propositio recipienda non videtur quia:*

a) in Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 44 et etiam in Decr. *Perfectae caritatis*, n. 1, clare dicitur quod per professionem consiliorum evangelicorum habetur consecratio;

b) « *mancipantur* » et « *dedicantur* » sunt verba similia quae eundem sensum habent.

5. In § 1 loco « *totaliter dedicantur* » dicatur « *peculiariter dedicantur* », quia verbum « *totaliter* » exprimit notionem idealem ordinis non iuridici sed spiritualis; praeterea « *totalis* dedicatio » haberi potest etiam sine votis, ex. gr. in sacerdotio ministeriali (Exc. Henríquez). Eadem ratione postulatur suppressio verbi « *pressius* », in lin. 3 et etiam in can 506 (Card. Carter).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia eadem expressio habetur in documentis Conciliaribus* (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 44; Decr. *Perfectae caritatis*, nn. 6 et 11). *Quoad verbum « pressius », cfr. Decr. Perfectae caritatis, n. 1.*

6. Dicatur in § 2 iuxta verba Const. *Lumen gentium*, n. 44: « ... *profitentur et per caritatem ad quam ducunt Ecclesiae...* » (Exc. Henríquez).

R. *Emendatio admittitur.*

7. Placet quod in § 2 clare statuatur duo substantialia elementa, quae sunt communia omnibus Institutis, independenter a qualibet specificatione in Constitutionibus facta, nempe: a) formalis professio trium consiliorum coram Ecclesia; b) per vota aut alia aequivalentia sacra ligamina (Card. Rosales).

Ad can. 504

In § 2, linea 2, loco verborum « *peculiari dono fruuntur* » alia ponantur quae melius oblationem sui ipsius Deo exprimant (Card. Bafle).

R. *Propositio recipienda non videtur, quia de oblatione sui ipsius Deo iam sermo est in can. 503.*

Ad can. 505

1. In § 2, linea 3, non placet verbum « *constituere* ». Adhibeatur formula Const. *Lumen gentium*, n. 45, recepta etiam in « *Mutuae relationes* », n. 8 (Card. Marty).

R. *Animadversio non admittitur, quia hoc verbum « constituere » in eodem contextu adhibetur sub n. 43 Const. Lumen gentium. Praeterea agitur de expressione canonica quae ad actum constitutivum refertur.*

2. Hic canon canonice nihil affert. Quoad § 2 inopportunum videtur textus Const. *Lumen gentium* uti canonem iuridicum promulgare (Card. Willebrands).

R. *Animadversio recipi non potest, quia in canone agitur de fundamentalis norma iuridica, nempe de actione Ecclesiae eiusque Auctoritatis in recipienda, servanda et ordinanda vita consecrata per consiliorum evangelicorum professionem.*

3. In § 2 addatur « ... constituere, vitam religiosam ut statum Deo consecratum sua liturgica actione exhibere necnon... » (Card. Duval).

R. *Additio proposita recipi nequit, quia canon est generalis et expressio non esset omnino adaequata pro Institutis saecularibus. Praeterea, quod attinet ad actionem liturgicam non est materia in Codice tractanda, dum e contra sermo necessario fieri debet de interventu Ecclesiae auctoritatis.*

Ad can. 506

Distinctio quae fit (« ... sive orante... sive annuntiante... sive beneficiente... ») non valet pro multis Ordinibus antiquioribus (Card. Willebrands):

R. *Hic non agitur de stricta distinctione. Sunt praeterea verba ex Const. Lumen gentium, n. 46.*

Ad can. 507

Dicatur « a competenti auctoritate ecclesiastica agnita... »: cfr. animadv. ad can. 503 (Card. Marty).

R. *Animadversio admitti non potest, quia non agitur tantum de « agnitione » ex parte auctoritatis, sed de « approbatione » (cfr. Const. Lumen gentium, n. 45; Decr. Perfectae caritatis, n. 1).*

Ad can. 508

Addantur verba praecedentis schematis « dummodo praecesserit propriae Episcoporum Conferentiae consensus » (Card. Carter).

R. *Maneat textus. Haec clausula suppressa est post consultationem, permultis petentibus.*

Ad can. 510

Addatur in fine « pertinet iuxta determinationem Constitutionum » (Card. Florit) vel « iuxta Ius proprium » (Card. Willebrands).

R. *Recipitur animadversio iuxta modum, ita ut in fine canonis sequentia addantur verba: « ad normam Constitutionum ».*

Ad can. 514

1. Deleatur § 2 vel saltem emendetur verba « tueri atque fovere », ne imponatur Episcopis hoc onus (Exc. Henríquez).

R. *Animadversio recipitur ad mentem, ita ut novus textus § 2 sit: « Ordinariorum locorum est hanc autonomiam servare ac tueri ». Deletur ergo verbum « fovere ».*

2. Attento can. 519, norma § 2 huius canonis omnibus Institutis, ratione pontificiae exemptionis, indiscriminatim applicari nequit (Card. Palladini).

R. *Animadversio non admittitur, quia agitur de re diversa.*

Ad can. 515

In § 4 addatur « apte, ad mentem Constitutionum, in aliis codicibus... », ut normae inferiores semper concordent cum normis constitutionalibus (Card. Florit).

R. *Proposita additio necessaria non videtur, nam admitti nequeunt normae iuris proprii quae sint contra Constitutiones. Agitur de principio iuridico generali.*

Ad can. 516

1. Clarius redigatur § 1 (Card. Wyszyński).

2. In § 1 dicatur: « *Status vitae consecratae... est* », quia non Instituta, sed status est clericalis vel laicalis, uti patet ex Const. *Lumen gentium*, n. 43 (Card. Philippe).

R. *Animadversiones recipiuntur iuxta modum, ita ut § 1 sic redigatur: « Status vitae consecratae, suapte natura, non est sive clericalis sive laicalis ».*

3. In § 2 addatur « *exercitium ordinis sacri praevalenter (vel principaliter) assumit...* » (Card. Pironio).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia sunt Instituta iuridice clericalia quorum tamen opera et activitates (ex. gr. iuvenum institutio in scholis) dici non possunt « praevalenter » vel « principaliter » clericalia.*

4. Addatur in § 2: « *clericorum, et in quo plerique sodales exercitium...* », quia fere in omnibus Institutis clericalibus adsunt fratres laici (Card. Philippe).

R. *Additio proposita non recipitur, quia talis clausula can. 488, 4º C.I.C. consulto vitata est propter eiusdem difficultatem applicationis in praxi.*

Ad can. 518

1. Addatur in fine § 1: « *item omnia Instituta bonas relationes cum episcopis, praesertim episcopo dioecesano, ad normam iuris, foveant* » (Card. Willebrands).

R. *Sufficere videtur norma magis concreta quae traditur in can. 634.*

2. Mirum est quod, in § 2, Summus Pontifex vocetur Superior Supremus. Romanus Pontifex non est super-generalis religiosus, sicut non est super-Episcopus: eius auctoritas est alius ordinis (Card. Marty). In eodem fere sensu Exc. Coffy.

R. *Maneat textus uti iacet, quia agitur de norma canonica classica (cfr. C.I.C. can. 499, § 1), quae oportet ut servetur.*

Ad can. 519

1. Exemptio Instituti rarius tantum fiat: haec enim exemptio multa damna creat in vita Institutorum (Card. Wyszyński).

R. *Non admittitur, quia videretur admonitio quaedam Sanctae Sedi facta. Suppositum praeterea, ita generice enuntiatum, historico fundamento caret.*

2. Huic canoni nova addatur § tenoris sequentis: « Ex hac exemptione peculiare officium et ius Sanctae Sedi et, si casus ferat, alii auctoritati de qua in § 1 proveniunt invigilandi et praecavendi ne ex abusu ipsius exemptionis aliquid detrimenti Ecclesiis particularibus et ipsi Universali Ecclesiae oriatur ». Ratio patet, sed expedire videtur si hoc expresse dicatur (Card. Bafile).

R. *Additio proposita non recipitur, quia patet Sanctam Sedem et Ordinarios locorum hoc ius et officium habere, et non videtur necessarium ut explicite affirmetur.*

Ad can. 520

Necessitas mittendi periodicam relationem ad Sanctam Sedem non apparebat in praecedentibus schematibus (Card. Marty).

R. *Haec obligatio iam statuebatur in praecedenti schemate (cfr. can. 31, § 1).*

Ad can. 521

1. Dicatur « ... in regimine interno *internaue disciplina*, *salvis tamen contrariis in iure expressis* », ut clarius pateat quod agitur tantum de disciplina *interna*, quia disciplina *externa* respicit quoque iurisdictionem Ordinarii loci; expressio praeterea « *salvis tamen contrariis in iure expressis* » poni deberet in § 1, uti erat in praecedenti schemate (cfr. Decr. *Christus Dominus* et M. P. *Ecclesiae Sanctae*, nn. 25-34) (Exc. Henríquez).

2. In § 2 dicatur: « potestati *ad normam iuris*, *ratione habita...* ». Idem dicitur sed suavius (Card. Pironio).

3. Norma § 4 difficile applicatur membro Instituti saecularis, nisi agatur de sacerdote Instituto incardinato. Congruum praeterea esset ut haec norma applicaretur sodalibus Societatum vitae apostolicae, quod ex textu clare non patet (Card. Pironio).

R. *Omnibus accurate perpensis, placet ut:*

a) § 1 maneat uti est, quia iam sufficienter patet ex tenore diversorum canonum de hac re, hic potius agi de disciplina interna Institutorum; praeterea, non est omnino verum omnia quae disciplinam externam respiciunt ad Ordinarios locorum tantummodo pertinere: sunt enim etiam res quae a Sancta Sede ordinantur;

b) § 2 supprimitur, quia iam provisum pro Institutis religiosis in can. 604; pro Institutis autem saecularibus iure particulari, prout habeant vel non opera propria;

c) § 3 ad Librum VI (« De sanctionibus in Ecclesia ») transfertur, etiam quia haec norma non est generalis, sed tantummodo religiosos respicit;

d) § 4 transfertur ad Titulum II et quidem uti can. 604 bis, quia norma in hac § statuta nequit applicari Institutis saecularibus, attenda eorum peculiari natura (cfr. can. 637).

Ad can. 523

1. Die 26 aprilis 1979 (cfr. *Communicationes*, 11, 1979, p. 307) remissiones atque praecisiones fiebant relate ad potestatem regiminis in Institutis saecularibus iuris pontificii. Estne provisum alio modo? (Card. Florit).

R. *Necessarium non videtur, uti norma generalis, quia potestatem regiminis habent tantummodo quae sunt clericalia iuris pontificii et facultate gaudent incardinandi: sed huiusmodi Instituta saecularia paucissima sunt.*

2. In lin. 4 supprimatur verbum « insuper ». Idem dicitur, quin tamen negetur alios etiam gaudere posse potestate regiminis: ex. gr. Superiores Societatum clericalium vitae apostolicae vel Institutorum clericalium iuris dioecesiani (Card. Pironio).

R. *Animadversio non recipitur, quia per verbum « insuper » non negatur ut etiam alii hanc habeant potestatem.*

3. In fine canonis, addatur remissio ad can. 131, § 1 (Card. Philippe).

R. *Non videtur necessarium.*

Attamen cum potestas regiminis nunc intellegenda tantum sit sensu can. 126, opportunum censetur ut quoad potestatem de qua in linn. 1-2 huius canonis (quae non est potestas regiminis, etsi quamdam potestatem ecclesiasticam publicam constituat), applicentur canones 128, 130 et 134-141, prudentiae causa.

Placet praeterea ut textus canonis ita in tres §§ dividatur:

« § 1. Institutorum Superiores et Capitula in sodales ea gaudent potestate quae iure universali et Constitutionibus definiuntur.

§ 2. In Institutis autem religiosis clericalibus iuris pontificii polent insuper potestate ecclesiastica regiminis pro foro tam externo quam interno.

§ 3. Potestati de qua in § 1 applicantur praescripta cann. 128, 130 et 134-141 ».

4. Melius dicatur « auctoritas » loco « potestas » (Card. Carter).

R. *Animadversio admitti non potest, quia sunt notiones distinctae.*

Ad can. 524

(Ex officio: In § 2 dicitur « Nemo », loco « Nullus »).

Ad can. 525

Supprimatur § 1, quia est superflua, cum de tribus consiliis evangelicis coniunctim iam in can. 503 § 2 mentio facta sit et in sequentibus cann. 526, 527 et 528 singillatim sermo fiat; et quia in Constitutionibus singulorum Institutorum definiri potest et debet « quo modo » consilia paupertatis et oboedientiae servanda sint, at non quo modo castitas servanda sit (Card. Bafle).

R. Animadversio non recipitur. Canon superfluus non est, quia praeter obligationes fundamentales quae ab omnibus quidem servandae sunt, habentur etiam in iure proprio singulorum Institutorum determinationes normaeque disciplinares characteris magis particularis.

Ad can. 526

Omittantur verba « signum mundi futuri et fons uberioris fecunditatis indiviso corde » quia non pertinent ad textum iuridicum (Card. Willebrands).

R. *Melius videtur ut maneant verba; etsi non necessarium, hodie oportet ut ratio legis detur in hac materia.*

Ad can. 527

Omittantur verba « ad imitationem Christi qui propter nos egenus factus est, cum esset dives », quia non pertinent ad textum iuridicum (Card. Willebrands).

R. *Cfr. responsum ad animadversionem circa can. 526*

Ad can. 528

Novus textus proponitur: « Evangelicum consilium oboedientiae secumfert submissionem auctoritatibus Instituti secundum determinationem iuris communis et iuris proprii » (Card. Willebrands).

R. *Maneat textus schematis: cfr. responsum ad animadversionem circa can. 526.*

Ad can. 529

Addatur novus canon (529 bis) hoc textu: « Instituta vitae consecratae, pro variis Spiritus charismatibus a competenti Ecclesiae auctoritate approbata sunt *Instituta religiosa et Instituta saecularia, quibus accedunt Societates vitae apostolicae* ». Ita textus nominat omnes categorias Institutorum, antequam de singulis agat (Card. Florit).

R. *Proposita additio non videtur necessaria. Quod postulatur sufficienter eruitur ex Titulis sequentibus.*

Ad can. 530

1. Ita redigatur: « Praeter vitae consecratae Instituta Ecclesia agnoscit vitam eremiticam seu anachoreticam, tam sodalium Institutorum vi-

tae consecratae qui huiusmodi vitam profitentur sub vigilantia eorum Superiorum et de consensu Episcopi dioecesanī, quam christifidelium, sive clericorum sive laicorum, qui in manu Episcopi dioecesanī et sub eius ductu profitentur tria consilia evangelica et huiusmodi vitam devotent ». Sunt enim duae species eremitarum: a) qui sunt membra alicuius Instituti; b) qui ad nullum Institutum pertinent, sed vitam eremiticam profitentur in manibus Episcopi dioecesanī (Card. Philippe).

R. *Animadversio admittenda non censetur quia in canone sermo tantummodo est de vita eremitica eorum christifidelium qui ad nullum pertinent Institutum, quapropter dicitur in initio: « Praeter vitae consecratae Instituta... ». Hoc nullo modo significat vitam eremiticam seu anachoreticam in Institutis negari, sed ipsa singulis in Constitutionibus ordinatur vel ordinanda est.*

2. Quidam religiosi transeunt ex monasterio ad vitam eremiticam. Opportunum videtur ut id faciant sub dependentia Superiorum, saltem durante quodam tempore (Exc. Coffy).

R. *Hoc in canone non agitur de religiosis; canon enim incipit « Praeter vitae consecratae Instituta, Ecclesia agnoscit... ».*

Ad can. 532

1. Nimia est centralizatio quod approbatio S. Sedis exigatur pro qualibet nova forma vitae consecratae. Ne priventur Episcopi suis praerogativis (Card. Marty).

R. *Animadversio admitti nequit: quae Sanctae Sedi et Episcoporum dioecesanorum respective sunt apte in canone distinguuntur.*

2. Sufficit ut novae formae vitae religiosae approbentur ab Episcopo, et ideo ne fiat reservatio ad Sedem Apostolicam (Exc. Coffy).

R. *Agitur in canone de approbandis non novis Institutis, sed novis formis vitae consecratae, quae differant tum ab Institutis religiosis tum ab Institutis saecularibus. Propter hoc fit reservatio.*

Ad can. 534

1. Hic canon extra locum invenitur sub Capite I, quia est generalis (Card. Florit).

R. *Admittitur: erat quidem error typographicus.*

2. Supprimatur § 1, quia non est textus iuridicus (Card. Willebrands).

R. *Melius videtur ut maneat § 1: descriptio fit vitae religiosae.*

3. Supprimatur § 3, quia effectus « separationis a saeculo » aliis in locis describuntur, dum expressio ipsa magis confundit quam adiuvat (Card. Freeman et Exc. O'Connell). In eodem sensu Card. Willebrands.

R. *Animadversio non recipitur: cfr. Const. Lumen gentium, n. 44, § 3; Decr. Perfectae caritatis, n. 5, § 1 et passim.*

Ad can. 535

1. Dicatur « Communitas religiosa sedem habere debet... » (Card. Pironio).

R. *Melius censetur ut textus maneat sicuti est (« habitare debet »), quia locutio « sedem habere » pericula falsae interpretationis secumferre potest.*

2. Dicatur « legitime erecta sub auctoritate... » (Card. Palazzini).

R. *Maneat textus, quia intentio est ut verbum magis generale adhibeatur.*

3. Dicatur « designati; pro regula habeatur ut singulae domus... », quia in parvis communitatibus et in locis dissitis, non semper haberi potest oratorium (Card. Freeman et Exc. O'Connell); vel dicatur « ubi id fieri possit » (Card. Carter).

R. *Admitti nequit, quia secus norma evacuetur.*

Ad can. 536

1. Quando moniales sunt consociatae et verum habent Superiorem maiorem vel supremum, possent pro ipsis valere normae communes ceteris Institutis relate ad erectionem et suppressionem domorum, indultum exclaustationis et dimissionem (Card. Pironio).

R. *Prae oculis habita peculiari natura harum communitatum, animadversio non recipitur.*

(Ex officio: § 4 fit § 2 et in eius textu: a) additur « insuper » post

verbum « requiritur »; b) delentur, quia non necessaria, verba « et consensus Episcopi dioecesani in scriptis datum »).

2. Statutum monialium melius est quam in C.I.C. Attamen cann. 536, § 4; 542 § 4 et 541 non agnoscunt quasdam realitates. Addatur clausula « nisi aliter ferant Constitutiones » (Card. Marty).

R. *Additio admitti nequit: cfr. responsum ad 1.*

3. Omittatur § 2, quia superflua in lege canonica (Card. Willebrands).

R. *Norma non videtur superflua, quia non quaelibet domus potest esse domus religiosa.*

Ad can. 542

1. In § 1 dicatur: « supprimi potest a *Superioribus maioribus* ad normam Constitutionum »: quaedam enim Instituta praeoptare possunt ut suppressio pertineat ad ambitum provincialem competentiae (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Propositio non recipitur, quia actus tam momentosus oportet ut Supremo Moderatori reservetur. Attamen placet ut dicatur « Domus religiosa legitime erecta... ».*

2. In § 4 addatur: « Constitutionum vel ipsius Sanctae Sedis determinationibus » (Card. Pironio).

R. *Additio necessaria non censetur, quia si nihil dicunt Constitutiones patet quod Sancta Sedes providere debet.*

Ad can. 546

Citatur « Congregatio monastica », sed non dicitur quid ipsa sit (Card. Florit).

R. *Norma est ut vitentur definitiones in quantum fieri potest. Hoc in casu definitio non videtur necessaria, post amplas explanationes quae a doctrina canonica datae sunt circa can. 488, 2° hodierni Codicis.*

Ad can. 549

1. Determinetur aetas minima pro Superiore generali et pro Superioribus maioribus (Card. Florit).

R. *Animadversio non recipitur, quia oportet attendere Institutionum varietate, ut norma haec iuri proprio remittatur. Attamen prudentiae causa ita completur canon: « ... requiritur congruum tempus, post professionem perpetuam vel definitivam, a iure proprio vel, si agatur de Superioribus maioribus, a Constitutionibus determinandum ».*

2. Estne clarus conceptus professionis definitivae? (Card. Florit).

R. *Sensus « professionis definitivae » videtur sufficienter notus: agitur de Institutis in quibus sodales vota temporaria dumtaxat emittunt quae quidem post tempus Constitutionibus statutum, ad certos effectus quod attinet, professioni perpetuae assimilantur.*

Ad can. 550

In § 3, addantur verba: « ... ob causas et secundum processum in iure... » (Exc. Bernardin).

R. *Additio admitti nequit, quia agitur de religiosis.*

Ad can. 552

Supprimantur verba « sive directe sive indirecte », quia multis in casibus fit discussio in spiritu orationis circa necessitates Instituti et qualitates candidatorum, quod impediretur per verbum « indirecte » (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Emendatio non videtur recipienda, quia factispecies non est ad rem: agitur de informationibus tantum colligendis.*

Ad can. 553

Dicatur in § 2: « praescriptis, Constitutiones determinent... » (Card. Florit).

R. *Consulto adhibita est locutio « ius proprium », quae comprehendit et Constitutiones et alios codices additicios (Regulamenta, Directoria, etc.), quia non semper est necessarium ut exigentia consensus aut consilii praescribatur in Constitutionibus.*

Ad can. 554

1. Addatur in § 1: « iuris proprii, sive per se sive per alium, visitent » (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

2. Addatur in § 2: « officium est, per se vel per alium idoneum sacerdotem, visitare... » (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Proposita additio necessaria non videtur, quia agitur de generali regula iuris: « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum »* (R.J. 68).

Ad can. 556

In § 1 dicatur: « salva Instituti disciplina. *Hac tamen libertate sodales cum discretione utantur* », ne vita religiosa communis detrimentum patiatur (Card. Bafle).

R. *Additio proposita non recipitur, quia non est norma iuridica.*

Ad can. 559

Supprimatur § 2: sufficiunt verba « fideliter expleant », quae habentur in § 1 (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Maneat textus, prudentiae causa.*

Ad can. 561

In § 1, supprimantur verba « nisi aliud expresse caveatur », ut vitentur abusus atque speculationes (Card. Palazzini).

R. *Maneant verba, quia praeter normas Libri V (« De bonis Ecclesiae temporalibus »), in hoc Articulo peculiaria praescripta traduntur circa ius patrimoniale religiosorum.*

Ad can. 562

Claritatis causa addatur in § 1: « ... oeconomus, semper a Superiore maiore distinctus et ad normam... » (Exc. Bernardin).

R. *Additio recipitur, dempto verbo « semper ».*

Ad can. 564

1. Quoad § 3: textus loquitur de summa a Sancta Sede definita. Attento canone 1243, § 1, nonne haec summa determinari potest in singulis regionibus a Conferentia Episcopali una cum Conferentia Superiorum maiorum? (Card. König). In eodem sensu Exc. Bernardin.

R. *Animadversio. recipienda non videtur, quia pro religiosis adhiberi nequit idem criterium ac pro dioecesibus et Conferentia Superiorum maiorum nullam habet potestatem super religiosos.*

2. In § 3 dicatur « in quo conditio patrimonialis personae ... », sicut in can. 1246 (Card. Pironio).

R. *Propositio recipitur, ideoque § 3 ita emendatur: « ... in quo conditio patrimonialis personae iuridicae... ».*

Ad can. 567

Dicatur aliquid de postulatu (Card. Florit).

R. *Sufficere videtur norma can. 524, § 2.*

Ad can. 568

Addatur « habeant valetudinem, rectam intentionem, aptam indolem ... » (Card. Pironio).

R. *Iam provisum in can. 524, § 1.*

Ad can. 569

M. P. « Postquam Apostolicis Litteris » can. 74, § 2, n. 6 sequentem praescriptionem continet: « Illicite sed valide admittuntur latini in orientalibus Religionibus vel ipsi Orientales in Religionibus latinis — iis exceptis de quibus in can. 5 — vel Orientales diversi ritus sine licentia scripto data a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali ». Regula haec in schematibus CICO substantialiter retenta est, ergo et in Codice latino eadem dicenda sunt (Card. Parecatil).

R. *Additio non videtur necessaria, etiam quia in canone non agitur de illegitimitate sed de invaliditate admissionis.*

(Ex officio: In § 2, ratione uniformitatis cum can. 548, dicitur: « Ius proprium potest » loco « Constitutiones possunt »).

Ad can. 570

Ad disciplinam ecclesiasticam tuendam, loco « inconsulto loci Ordinario » dicatur « nisi obtenta Ordinarii loci licentia » (Card. Siri).

R. *Maneat textus uti est, quia expressio proposita esset clausula invalidans admissionem.*

Ad can. 579

1. Compleatur § 2 his verbis: « Constitutiones permittere possunt votis substituere alia sacra vincula quibus sodales paupertatem, castitatem et oboedientiam assumunt, cum Deo inita. Eorum natura et effectus in iure proprio determinantur intra ambitum iuris universalis ». Ratio est quia sunt Instituta religiosa, antiqua et moderna, quae vincula habent votis aequivalentia, sive perpetua sive temporanea (Card. Pironio).

R. *Propositio admitti nequit: cfr. responsum ad 3^{am} animadversionem circa can. 503. Praeterea, cum proposita additione evacuaretur norma generalis in ipso Codice: quod absonum esset.*

2. In § 2 loco « sex menses » dicatur « annum » (Card. Willebrands).

R. *Maneat textus uti est, prudentiae causa et in bonum ipsius novitii.*

3. Addatur nova § 3, circa professionem in articulo mortis, his vel similibus verbis: « Novitio in articulo mortis constituto, Superior maior, seu etiam localis, permittere potest ut professionem votorum emittat; quae, si novitius convaluerit, nullum effectum iuridicum habebit » (Card. Pironio).

R. *Nova § 3 non recipitur, quia quaestio haec ad Constitutiones remittenda videtur.*

Ad can. 580

Canon 1041 voto perpetuo tribuit effectus invalidantes, de quibus in can. 1073 CIC. Schema igitur non videtur contemplari votum solemne

qua tale, de quo tamen agitur in can. 1143. Quomodo componuntur haec? (Card. Florit).

R. *Etsi in canonibus « De Institutis religiosis » non memoretur amplius distinctio inter votum sollemne et simplex (iuxta criterium simplificationis), manet tamen notio (can. 1143) quia non intenditur suppressere distinctionem quae servari potest, immo aliquando et debet in iure proprio religiosorum.*

Ad can. 582

1. In n. 1 addantur verba: « ... completus, nisi ius proprium Instituti maiorem aetatem requirat » (Card. Willebrands).

R. *Additio non recipitur, quia non necessaria: In canone dicitur « saltem ».*

2. In n. 4 dicatur « sit libera ac expressa per formulam quae elementa complectitur iuridice necessaria ad validitatem », quia mos invaluit, praesertim inter mulieres, componendi privatas formulas professionis, quibus quandoque desunt elementa ad validitatem necessaria (Card. Cooray).

R. *Animadversio non videtur recipienda, quia iudicatur non necessaria; attamen, ut explicite exprimantur in canone elementa essentialia, quae iam aderant in can. 572 C.I.C., n. 4 ita immutatur: « ... expressa et absque vi, metu gravi aut dolo emissa ».*

Ad can. 583

Addatur § 2, his verbis: « In Institutis in quibus sodales ligaminibus temporalibus solummodo adstringuntur, Constitutiones statuunt quo tempore ligamina ut definitiva quoad effectus iuridicos habenda sunt, ita ut votis perpetuis aequiparentur »: cfr. can. 649 § 5 quoad Instituta saecularia (Card. Pironio).

R. *Propositio recipienda non censetur, quia sunt pauca Instituta in quibus haec species professionis habetur; agitur potius de casibus exceptionalibus.*

Ad can. 589

Maius pondus tribuatur obligationi personali recitandi Liturgiam horarum, saltem pro religiosis clericis et pro illis qui Laudem divinam assumunt ut normam fundamentalem propriae vitae (Card. Pironio).

R. *Recipitur animadversio ideoque in § 3 sequens additur textus: « ... celebrent, firma pro clericis obligatione de qua in can. 249 § 2, 3 et ... ».*

Ad can. 591

Non sufficiunt tres lineae ad agendum de religioso illegitime absenti, etsi placeat abolitio distinctionis inter fugitivos et apostatas. Neque sufficit ut Superioribus obligatio imponatur eos revocandi ad observantiam. Statuatur in Libro VI quaedam sanctio, sicut fit in can. 1348 quoad clericos (Card. Philippe).

R. *Non videtur necessarium ut amplior detur norma in iure universali eo magis quod illegitima absentia inter causas dimissionis adnumeratur (can. 622, § 1).*

Ad can. 592

Omittatur canon, quia non est materia iuridica (Card. Carter).

R. *Maneat textus, quia agitur de norma disciplinari, hodie praesertim valde necessaria.*

Ad can. 593

Supprimantur §§ 3 et 4, quia sapiunt diffidentiam erga moniales (Card. Marty); mentio monasterii monialium non est necessaria, et contradicere videtur can. 533 (Card. Freeman; Exc. O'Connell).

R. *Animadversio admitti nequit: cfr. inter alia, Decr. « Perfectae caritatis », n. 16.*

2. Habeat Episcopus facultatem de qua in § 4, sed ea comulative quoque gaudeant Superior regularis et Superiorissa monasterii (Card. Pironio).

R. Nihil addendum videtur. In hac § 4 non affirmatur ius exclusivum: aliis quoque, praeter Episcopum dioecesanum, tale ius tribui potest vi indulti Sanctae Sedis vel iuris particularis.

Ad can. 595

1. Textus ita redigatur, ut vitetur hodierna derelictio habitus religiosi:

« § 1. Reiecta in posterum quavis in contrarium animi levitate, sodales uniuscuiusque Instituti Religiosi habitum seu vestium formam a competenti Auctoritate determinatam habitualiter deferant, domi ac foras, in signum servitutis erga Deum, consortii inter convictores eiusdem familiae, ac evangelicae testificationis versus mundum externum.

§ 2. Haec observantia sana et sancta vigilantiae committitur Superiorum ac Capitulorum pro rei momento.

§ 3. Foras egredientes, Religiosi obnoxii sunt insuper statutis Dioecesani et ordinationibus Episcopi hac in re » (Card. Cooray).

R. Maneat textus uti iacet, quia videtur sufficiens. Superiorum quidem est, et etiam ad normam iuris Ordinariorum locorum (cfr. M. P. Ecclesiae Sanctae, I, n. 25, d), hoc praescriptum urgere.

2. In § 1 simpliciter dicatur: « Religiosi signum specificum Instituti deferant... », quia nostro hoc tempore habitus non ubique deferri potest (Card. Carter).

R. Maneat textus, quia verba canonis fere ad litteram desumpta sunt ex Decreto conciliari « Perfectae caritatis », n. 17, ubi agitur non de signo quodam, sed de habitu religioso. Cfr. praeterea Adhort. Apost. Evangelica testificatio, n. 22; Notificatione, diei 25 febr. 1972 et Litt. Circulares S. C. pro Religiosis, diei 10 iulii 1972.

Ad can. 598

Hoc in elencho adiungatur can. 252, § 3 (Cardd. Siri et Pironio).

R. Animadversio non censetur recipienda, quia religiosi amplius obligantur in hac materia quam clerici saeculares, ita ut religiosi, sive clerici sive laici, nulli consociationi nomen dare possint absque licentia Superiorum.

Ad can. 599

Inscriptio capitis V sit « De Institutorem operibus apostolicis » (Card. Philippe).

R. *Animadversio non recipitur, quia sensus propositae inscriptionis non clare pateret. Attamen, simplicitatis causa, placet ut inscriptio sit: « De apostolatu Institutorem ».*

Ad can. 604

1. In § 2 adhibeantur verba Decr. *Christus Dominus*, nempe: « in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catechetica institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis quae sacri apostolatus exercitium respiciunt » (Card. Jubany).

R. *Animadversio recipienda non videtur, quia omnia quae in novo textu proponuntur veniunt sub formula « in iis quae curam animarum, exercitium publicum cultus divini et alia apostolatus opera respiciunt ».*

2. Episcopus ius quoque habere debet cognoscendi an religiosi in dioecesi degentes proprias Constitutiones observent. Compleatur hoc in sensu § 2 canonis. Hoc videtur necessarium tum pro bono Ecclesiae tum pro bono ipsorum Institutorem religiosorum (Card. Hume).

R. *Animadversio recipi nequit, quia norma proposita esset contra legitimam autonomiam Institutorem.*

Ad can. 608

Ita redigatur § 1: « laicalis libere a sodalibus eligitur dummodo ipse consentiat et Ordinarius approbet », quia hoc systema fuit efficax, et non apparet cur mutandum sit (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Propositio recipitur ad mentem, ita ut in fine § 1 addantur verba « proponente communitate » (Subintelligitur « communitas » hierarchice ordinata).*

(Ex officio: *Hoc canon transfertur ad Caput XI, Partis III, « De ecclesiarum rectoribus »*).

Ad can. 609

In § 1 addatur: « *Instituti alumnis, praeterquam si notitiam habuerit de gravi inordinatione in re morali vel in doctrina tradenda* », quia experientia docet quod exemptio a visitatione Episcopi in quibusdam casibus praeiudicio fuit et Instituto religioso et Ecclesiae locali (Card. Bafle).

R. Iam provisum per § 2 eiusdem canonis.

Ad cann. 612-613

Cum exclaustatio non sit radicalis separatio ab Instituto, sed licentia ut quis degat extra communitatem, cum quadam suspensione obligationum vitae religiosae, duo hi canones ponantur in Cap. IX, ubi de obligationibus et iuribus sodalium. Ita distinguitur inter exclaustationem et separationem, de qua agitur in hoc Capite VI (Exc. Bernardin).

R. Propositio non accipitur, quia exclaustatio est utique aliqua forma separationis ab Instituto.

Ad can. 612

In § 3 dicatur: « *ab Ordinario loci specialiter si de...* », quia ita omnes exclaustati, et non solum sacerdotes, pendent a Superioribus et ab Ordinario loci (Card. Philippe).

R. Recipitur animadversio, ita ut dicatur: « ... Ordinarii loci praesertim si... ».

Ad can. 613

1. Dicatur a qua auctoritate pendeat religiosus a Sancta Sede exclaustatus: videtur quod ab Episcopo loci ubi resideat (Card. Philippe).

R. Hac attenta animadversione, placet ut textus huius canonis fiat § 3 can. 612, dum § 3 ipsius can. 612 devenit novus can. 613: ita norma respicit omnes casus exclaustationis.

2. Addatur clausula prohibens ne exclaustratus habitum Instituti deferat, quia nimis frequenter exclaustri abusive habitum induunt, ad personas beneficas vel civiles auctoritates decipiendas (Card. Philippe).

R. *Additio necessaria non videtur, quia hoc statui debet in decreto exclaustriationis.*

3. Quoad exclaustriationem nulla procedura statuitur, ita ut religiosi sine possibilitate recursus maneant. Non videtur quod iura personae satis servantur, eo vel magis quod cann. 620-630 faciliorem reddunt dimissionem (Card. Marty).

R. *Re vera procedura habetur (cfr. can. 612), et semper manet recursus ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae.*

Ad can. 614

Facultas de qua in § 2 extendatur ad Superiorissam monasterii sui iuris vel ad ipsius Superiorem maiorem, si adsit (Card. Pironio).

R. *Animadversio recipitur iuxta modum, ita ut textus § 2 ita compleatur: « Qui, perdurante professione temporaria, gravi de causa, Institutum derelinquere petit, indultum discedendi consequi potest in Institutis iuris pontificii a Supremo Moderatore de consensu sui consilii; in Institutis autem iuris dioecesiani et in monasteriis de quibus in can. 541 indultum ut valeat confirmari debet ab Episcopo domus assignationis ».*

Ad can. 616

In § 1, loco « Superiore supremo » dicatur « Moderatore supremo » (Card. Carter).

R. *Recipitur animadversio, ad unitatem terminologicam servandam.*

Ad can. 618

Addatur « ortis, firmitate onere caelibatus si agatur de sacerdote » (Card. Philippe).

R. *Iam provisum per cann. 266 et 619.*

Ad can. 621

Addatur nova § 3: « Curet Superior maior ne sodalis consilio alicuius competentis personae careat in suae defensionis praesentatione » (et in can. 623, 2° addatur: « defendendi, *attentis iis quae in can. 621 § 3 statuuntur* ») (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Additio proposita necessaria non censetur, quia sufficit norma § 2: « data eidem facultate sese defendendi ».*

Ad can. 622

In § 1, lin. 5, addatur: « in materia *proportionate* gravi », ne nimis coarctetur possibilitas dimittendi religiosum pertinaciter inoboedientem (Card. Bafle).

R. *Additio non videtur necessaria, quia proportio gravitatis iam desumitur ex elencho delictorum.*

Ad can. 625

1. Ad designandum documentum quo religiosus dimittitur, verbum adhibeatur « decisio », non *decretum*, quia decreta reservanda sunt Dicasteriis Sanctae Sedis et Ordinariis locorum (Card. Bafle).

R. *Maneat verbum « decretum », quia ipsum sensum technicum habet quod omnibus in casibus servare debet.*

2. In § 1 expresse, et non solum implicite, constare deberet Supremum Moderatorem esse in casu etiam Abbatem monasterii sui iuris et Superiorem constitutionalem monasterii monialium (Card. Pironio).

R. *Propositio admitti nequit, quia sensus canonis est ut decretum dimissionis non feratur a Superiore locali, sed ab alia superiori auctoritate. Cfr. praeterea can. 546. In casibus dubiis, S. Congregationi pertinet determinare quinam esse debeat Superior competens.*

Ad can. 626

1. Ita redigatur § 1: « Dimissio a Superiore Generali Instituti iuris pontificii decisa nequit executioni mandari, nisi fuerit ab Apostolica Sede confirmata ». Ratio est quia confirmatio a Sancta Sede aptius tuetur

iura religiosorum, praesertim mulierum, quae, pauperes quandoque et parum cultae, viam recursus hierarchici vel processus administrativi adire non poterunt (Card. Bafle).

R. *Sub respectu technicae iuridicae et etiam ad iura personalia aptiori modo tuenda magis placet norma uti iacet in canone. Quaestio tamen disceptationi Patrum Congregationis Plenariae submittitur.*

2. Emendetur § 1: « intra triginta dies a recepta... ». Tempus enim ad recursum interponendum nimis breve est. In casu de quo agitur persona invenietur in statu confusionis, et congruit ut tempus ei praebeatur ad decisionem consulto capiendam (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Propositio non recipitur, quia dilatio temporis utilis ad recursum faciendum plura inconvenientia quam commoda secumferret.*

3. In § 2 supprimantur verba « vel de monasterio de quo in can. 541 », quia mirum est quod Episcopus qui dimissionis decretum fert ad normam can. 625, § 2, suum decretum confirmet (Card. Pironio).

R. *Suppressio postulata iam facta erat ex officio, quia agebatur de lapsu.*

Ad can. 636

Canones 636 ss. meliorem reddunt legislationem de Institutis saecularibus et iustitiam faciunt realitati vivae (Card. Marty).

Ad can. 640

1. In fine § 1 addatur: « ducant. Si sodales utriusque sexus in eadem domo vivant, aedium congruae partes alterutri sexui reservatae maneant » (Card. Bafle).

R. *Provideant Constitutiones.*

2. Supprimatur § 2, quia nihil impedire videtur quominus sodales simplex signum deferant (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

3. In § 2 dicatur « signum deferre tenentur », quia melius est ut Instituta hac in re libera maneant (Card. Bafle).

R. *Melius videtur ut canon maneat uti est, quia impositio alicuius signi consecrationis esset contra naturam saecularem Instituti. Hoc tamen non impedit quominus aliquis sodalis Instituti possit personaliter deferre quoddam signum suae consecrationis, dummodo de signo non agatur communi, ab Instituto imposito.*

Ad can. 647

In § 1, 1°, non placet quod, ne ad initialem quidem probationem, candidatus admitti non possit ante aetatem 18 annorum (dum contra matrimonium contrahere valent mulieres post expletum 14 aetatis annum, viri autem post 16 expletum). Neque placet (cfr. cann. 648 § 3 et 649 § 2) quod incorporatio definitiva locum habere nequeat ante expletum quintum et vicesimum annum (Card. Rugambwa).

R. *Animadversio non recipitur, quia attenta peculiari natura Institutorum saecularium maior requiritur maturitas.*

Ad can. 656

1. Cur non praevideatur transitus a Societate vitae apostolicae vel in Societatem vitae apostolicae (cfr. can. 670, § 2)? (Card. Pironio).

R. *Iam provisum in can. 670, § 2.*

2. Post hunc canonem addatur oportet « de vita communi in Instituto » (Card. Wyszyński).

R. *Propositio admitti nequit, quia vita communis canonica non habetur (cfr. can. 640, § 1).*

Ad can. 657

1. Canones 657 ss. meliores sunt quam in praecedentibus schematibus (Card. Marty).

2. Perpensis argumentis utramque sententiam faventibus, placet collocatio systematica Societatum vitae apostolicae extra Instituta vitae consecratae (Card. Philippe).

Ad can. 662

In § 2 addatur referentia ad can. 972 (Card. Pironio).

R. *Non est necesse, etiam quia can. 972 ita emendatus est: « Superiori Maiori Instituti religiosi clericalis iuris pontificii aut Societatis vitae apostolicae clericalis iuris pontificii facultate... ».*

Ad can. 666

Dicatur « legitime constituta, servato can. 593, § 1, et vitam communem ducere, ad normam... », ut pateat quod pro huiusmodi sodalibus communitatem ad instar communitatis religiosae efformantibus, servanda est « clausura indoli et missioni Instituti accommodata » (Card. Bafile).

R. *Animadversio non recipitur, quia aptius providendum est in Constitutionibus.*

Pars III – Sectio III

1. Placent canones huius Sectionis (Cardd. Marty et Rosales).

2. Norma addatur in Capite I circa « criteria ecclesialitatis » coetuum et associationum (Card. Siri).

R. *Non videtur necessarium, quia sufficiunt quae in canonibus traduntur.*

Ad cann. 673-685

(Ex officio: in inscriptione huius Capitis expungitur verbum « omnibus », quia normae his in canonibus contentae non respiciunt Instituta vitae consecratae neque Societates vitae apostolicae).

Ad cann. 673-674

Hodie numerosas sunt consociationes ad bonum familiae promovendum. In his consociationibus admittuntur non tantum coniuges catholici, sed etiam coniuges acatholici non-baptizati cum quibus catholici

matrimonium mixtum iniverunt. Tales consociationes locum suum habentne in Novo Codice Iuris Canonici? Quaeritur utrum de his consociationibus satis provisum sit in Novo Codice? (Card. Satowaki).

R. *Iam provisum, etiam per can. 681, § 4.*

Ad can. 673

(Ex officio: a) *ut ratio habeatur sectionis II, textus § 1 ita completur: « ... vitae consecratae et Societates vitae apostolicae, aliae ... »;* b) *brevitatis causa, supprimuntur in ipsa § 1 verba « per professionem consiliorum evangelicorum »).*

Ad can. 674

In § 2 dicatur: *« commendentur, personalitate iuridica non gaudent »* (Card. Pironio).

R. *Animadversio non recipitur, quia est quaestio diversa.*

Hic perpenditur animadversio proposita ad can. 694, quae recipitur ad mentem. Ius enim associationis est quidem ius naturale nullum requirens actum ex parte auctoritatis. Ut autem agnitio alicuius associationis in iure haberi possit, requiritur ut eius existentia aliquo modo constet: ita, ex. gr., ius civile exigit saltem inscriptionem associationis in albo. Ideo associationes in Ecclesia debent quoque participem reddere auctoritatem de earum existentia. Immo, eiusdem auctoritatis ecclesiasticae est quoddam testimonium emittere de christiana authenticitate talis associationis, necnon eius finium et mediorum, ita ut nihil in ipsis adversetur doctrinae, disciplinae vel integritati morum.

His omnibus attentis, placet ut: a) can. 674 § 3 fiat can. 674 bis; b) nova § 3 can. 674 addatur sequentis tenoris: « Nulla christifidelium consociatio privata in Ecclesia agnoscitur, nisi cuius statuta ab auctoritate competenti recognoscantur ».

Ad can. 675

1. In § 1 non videtur clara locutio *« quaeve alios intendunt fines quorum persecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur »* (Card. König).

R. *Expressio, de qua in animadversione, manere potest, quia videtur satis clara et principium hoc penitus determinabitur a doctrina.*

2. In § 3 dicatur: « eriguntur, *personalitate iuridica gaudent* », et fiant quoque opportuna emendationes in cann. 678, § 1; 681; 684; 686-696; 697-702 (Card. Pironio).

R. *In elaboratione et revisione horum canonum iam satis actum est de hac quaestione, ad mentem Decr. Apostolicam actuositatem, n. 19 Concilii Vaticani II. Servetur ergo distinctio inter consociationes privatas et publicas, et consociationes privatae quoque possint donari personalitate iuridica.*

Ad can. 677

1. Sunt Tertii Ordines qui non amplius adhibent huiusmodi nomen (Card. Florit).

R. *Maneat textus uti iacet, quia non est quaestio de nomine sed de re.*

2. Addatur: « Tertii Ordinibus aequiparantur Associationes de quibus in can. 603, § 3 » (sic) (Card. Pironio).

R. *Admitti nequit aequiparatio proposita, quia agitur de alia re, nempe de associationibus in genere sumptis: secus evanesceret sensus Tertii Ordinis.*

3. Expressio « sub superiore eiusdem Instituti Moderamine » non videtur recta, quia ex. gr. Tertius Ordo franciscanus fundatus est « sub directione spirituali » Fratrum Minorum (Card. Willebrands).

R. *Forma concreta dependentiae in statutis definienda est. Cfr. praeterea emendatio « ex officio ».*

(Ex officio: in lin. 3 dicitur « altiore » loco « superiore »).

Ad can. 679

Addantur verba in § 2: « ... generis; *vigilantiae Conferentiae Episcopalis si ab ipsa constitutae fuerint, ad normam can. 686, § 2; vigilantiae...* ». Ratio patet si manet norma can. 686, § 2 (Card. Jubany).

R. Animadversio recipienda non videtur, quia vigilantia est actus administrativus qui non competit Conferentiae: hac via tendentia foveretur constituendi aliquam « Curiam nationalem », quae quidem non censetur opportuna.

Ad can. 681

1. Norma quae in § datur quoad consociationes privatas non videtur prudens nisi ulterius clarificetur, quia: *a)* si non-catholici sint membra pleno iure consociationis, ius suffragium ferendi eis tribueretur, quod in praxi, si nempe non-catholici maiorem consociationis partem constituent, ducere potest ad gubernationem ipsius consociationis a non-catholicis; *b)* oporteret quoque ut specificetur quaenam sit « auctoritas competens » in casu: Episcopus, Superior religiosus, parochus vel directores consociationis (Exc. Henríquez).

R. Animadversio recipitur iuxta modum, nempe textus sic emendatur: « ... nisi iudicio Ordinarii id fieri... », et ita prudentiae Ordinarii relinquitur media adhibere quae pericula arceant.

2. Aptius dicatur in § 4 ad mentem praecedentis schematis: « Non-catholici adscribi possunt christifidelium consociationibus, nisi iudicio auctoritatis competentis id fieri non possit sine detrimento actionis associationis propriae vel sine scandalo » (Exc. Bernardin).

R. Textus praecedentis schematis emendatus est post consultationem, pluribus petentibus. Propositio ergo recipi non potest.

Ad can. 686

Non placet distinctio quae in hoc aliisque canonibus fit consociationes publicas inter et privatas, quia *a)* specifica natura huius distinctionis clara non videtur, nec ratione auctoritatis ad consociationum erectionem competentis (can. 686) nec praesertim ratione ipsorum finium; *b)* non bene intellegitur quid significet locutio « ad fines quos sibi proponit nomine Ecclesiae persequendos »: agiturne de sic dicto « mandato » Actionis Catholicae?, significaturne « Hierarchia » per verbum « Ecclesiae », vel communitas fidelium seu Populus Dei? *c)* in can. 698 possibilitas consociationibus privatis tribuitur habendi personalitatem iuri-

dicam in Ecclesia: quatenam est hoc in casu differentia cum consociationibus publicis? (Card. Jubany).

R. *Agitur de re de qua pluries disceptatio habita est* (cfr. responsum ad 2^{am} animadversionem circa can. 675). *Praeterea norma respondet sententiae partis longe maioris eorum qui vota miserunt in consultatione. Maneat ergo textus uti est.*

Ad cann. 687-688

Duo canones in unum ita exarentur:

« Consociatio publica itemque consociationum publicarum confederatio, ipso decreto quo ab auctoritate ecclesiastica ad normam can. 686 competenti erigitur, persona iuridica constituitur et missionem recipit ad fines quos sibi proponit nomine Ecclesiae persequendos ».

Cum enim in schemate C.I.C. distinctio inter « publicas » et « privatas » introducta sit, non tantum in iure consociationum sed etiam pro personis iuridicis, curandum est ut illi conceptus (« publicus » et « privatus ») sint in utraque materia sibi congrui seu convenientes. Ubi agitur de personis iuridicis statuitur quod « personae iuridicae publicae » eriguntur « ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant » (can. 113, § 1). Ita « agere in nomine Ecclesiae » proprius fit conceptus « publicus ». Eodem modo debet concipi in iure consociationum. Altera ex parte potest tolli clausula finalis, vi cuius in Ecclesia possunt dari « consociationes publicae » quae habent indolem « personae iuridicae privatae » (Card. Ratzinger).

R. *Animadversio recipitur, ita ut hi duo canones in unum uniantur, manente substantia textus, nempe: « Consociatio publica ... persona iuridica constituitur et missionem, quatenus... persequendos ».*

Ad can. 691

1. Placet quod praeter Instituta vitae consecratae haberi possint aliae Societates clericales iuris pontificii quae ab Apostolica Sede facultate incardinandi donentur (Card. Rosales).

2. Clarificetur notio verbi « Societatis », sive hoc in canone sive in cann. 236 et 237, § 2, ubi agitur de incardinatione. Attenta locutione

« Consociationes seu Societates clericales » hoc in canone adhibita, videtur verbum « Societate » canonis 236 comprehendere sive « Societates vitae apostolicae » de quibus in Sectione III, sive « Societates » de quibus hoc in canone agitur (Card. Jubany).

3. Non placet quod facultate incardinandi donentur eae Societates; hoc fiat tantum per privilegium (Card. Colombo).

R. *Hic canon redactus est ut provideretur necessitatibus exoptatisque Societatum missionariorum cleri saecularis, quae propter earum carisma fundationale nolebant recenseri inter Instituta vitae consecratae* (cfr. *Communicationes*, vol. II, 1970, p. 174; vol. III, 1971, p. 189; vol. VII, 1975, p. 37). *Nunc vero, cum Societates vitae communis sine votis publicis, seu Societates vitae apostolicae, proprium locum habeant in novo C.I.C. ab Institutis vitae consecratae diversum, ratio huius canonis non amplius habetur. Ceterum si aliqua Societas missionaria adhuc inter ipsas Societates vitae apostolicae locum habere nequeat, Sancta Sedes semper providere potest per normam iuris particularis. Canon ergo supprimitur.*

Ad can. 692

Restituatur textus can. 59 schematis praecedentis, ita ut non excludantur ab associationibus qui fidem catholicam notorie abiecerint vel publice a communione ecclesiastica defecerint: sufficit ut, si opportunum sit, hi casus praevideantur in Statutis singularum consociationum (Exc. Bernardin).

R. *Melius videtur textus uti iacet: agitur de consociationibus publicis. Casus praeterea censurae irrogatae vel declaratae valde rari sunt.*

Ad can. 694

Post hunc canonem novus addatur canon sequentis tenoris: « Nulla in iure ecclesiastico recognoscitur consociatio, quae a competenti ecclesiastica auctoritate non fuerit erecta vel saltem approbata ».

Ratio est quia haec norma quoad substantiam convenit cum can. 686, § 1 C.I.C. a. 1917. Etiam consociatio ecclesiastica quae non est persona

iuridica privata, ut existere valeat, requirit collaborationem auctoritatis ecclesiasticae. Ita distinguitur a consociatione iuris civilis quae finem ecclesiasticum prosequitur et quae est commendata seu probata. Approbatio requiritur quia secus non potest exerceri vigilantia de qua in can. 679. Nec declarari potest quod auctoritas ecclesiastica potest dissolvere omnem consociationem ecclesiasticam, etiam eam quae non gaudet personalitate iuridica (can. 702, § 1), si haec auctoritas in ordine ecclesiastico talis consociationis nullo modo partem habeat (Card. Ratzinger).

R. *Recipitur animadversio* (cfr. responsum ad observationem circa can. 674, in quo nova § 3 additur).

Ad can. 698

(Ex officio: *expungitur § 3 huius canonis, quia eius prima pars est repetitio normae contentae in can. 701, § 1; altera autem pars huius § 3 transfertur in can. 701, § 1, cuius textus ita completur: « ... praescripta, salvo iure auctoritatis ecclesiasticae competentis vigilandi ut bona in fines associationis adhibeantur »*).

Ad can. 699

In § 1 loco verborum « eadem ratione... singuli » dicatur « praesertim si ab ea laudatae vel commendatae fuerint ».

Cum enim de consociationibus agatur, quae finem religiosum (lato sensu) prosequuntur, ipsae obnoxiae sunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae magis quam personae singulae, praesertim si consociationes ab ipsa auctoritate laudatae et commendatae fuerint (cfr. can. 674, § 2) (Card. Bafle).

R. *Admittitur animadversio, iuxta modum, ita ut deleantur verba « eadem ratione... corrigere »*.

Ad can. 700

1. Aptius dicatur in § 2 quod Episcopi est seligere unum inter plura nomina quae ei praesententur (Card. Colombo).

R. *Animadversio non recipitur, quia magis congruit ut hac in re habeatur libertas*.

2. Loco « qui tamen indiget confirmatione Ordinarii loci » dicatur « cum licentia saltem praesumpta Ordinarii loci » (Exc. Bernardin).

R. *Aptius videtur ut formula servetur uti iacet.*

Ad can. 701

Addantur verba: « ...privata, si personalitate iuridica careat, ea quae... », secus norma non congrueret cum can. 698, § 3 (Card. Jubany).

R. *Huic animadversioni iam providetur per emendationem can. 698.*

Ad can. 702

Supprimatur hic canon, quia si associatio aliqua libere constituta causet grave damnum vel scandalum, eius membra difficile obtemperabunt ecclesiasticae auctoritati praecipienti ut associatio dissolvatur. His in casibus auctoritas aliis mediis uti debet (Exc. Bernardin).

R. *Propositio admitti nequit. His in casibus ius et officium est competentis Ecclesiae auctoritatis consociationem privatam suppressere. Ius nativum consociationis semper iuxta iustos limites exercetur: in Ecclesia sicut etiam in societate civili (cfr. praeterea cann. 699 et 679).*

LIBER III
« DE ECCLESIAE MUNERE DOCENDI »

Nota

Animadversiones quae LEF respiciunt propriam considerationem habebunt ex eo quod plures canones LEF probabiliter in C.I.C. nunc inserendi sunt (cfr. Appendicem).

Ad titulum quod attinet

1. Mutatio tituli vel nominis schematis *De magisterio ecclesiastico* non videtur in melius fieri, praesertim si Codex non sibi proponit dare aliis quoque libris titulum de ceteris muneribus, excepto uno scilicet *De munere sanctificandi*.

Ne dicatur « magisterium » significare solum munus docendi Episcoporum vel ipsos Episcopos docentes; hic sensus est sat recens et quidem innovatio. Sensus e contra termini *De magisterio ecclesiastico* est traditionalis. Non videtur cur mutari oporteat (Card. Pericattil).

R. *Omnibus perpensis, melius est ut maneat titulus Schematis qui a consultatione probatus est. Magisterium praeterea est terminus technicus sub quo valde improprie venirent omnes canones Libri III.*

2. Melius ut dicatur: *De Fide promovenda* seu *De Ecclesiae munere docendi* (Exc. Stewart).

R. *Non est idem.*

Observatio generalis

Substituatur locutio « Evangelium nuntiare » cum alia, ex. gr. « Verbum Dei praedicare », aut « ministerium praedicationis », praesertim in cann. 711 et 712.

Ratio: Evangelium nuntiare est locutio ambigua, quia potest etiam intelligi de apostolatu vel de diffusionem doctrinae christianae, quod est ius et officium omnium fidelium exurgens ex Baptismo et Confirmatione (LG 33; AA 3) (Card. Rosales).

R. Non admittitur: 1) *ex ratione contraria: praedicare habetur tantum oris ope, dum etiam alia dantur media ad annuntiandum quod attinet;* 2) *amplius patet titulus qui adhibitus est, quique complectitur et praedicationem et catechesim (cfr. ex gr. LG 23).*

Ad cann. 706-710

Relatio ad schema Legis Ecclesiae Fundamentaliss (LEF): Canones praeliminares huius schematis aut praesupponunt LEF cann. 57-65 aut non. Si praesupponunt, quaedam repetitiones sicut in cann. 706 et 708 non iustificantur; si non, plus requiritur in his canonibus praeliminaribus (Card. Rosales).

R. Cfr. notam praeviam.

Ad can. 706

Superfluum evadit si confertur cum LEF can. 57 § 1, quae est etiam amplior (Card. Perecattil).

R. Cfr. notam praeviam.

Ad can. 707

1. Verba: « Veritas in iis quae Ecclesiam respiciunt » latius patet quam « veritas salutaris ». Multa enim Ecclesiam respiciunt quorum veritatem quaerere ad salutem non est necessarium. Insuper aegre dici potest: « Ecclesiam amplectendi ac servandi »; quomodo enim quivis homo Ecclesiam servat? (Card. Parecattil).

R. Textus desumitur ex Decl. « Dignitatis humanae » (1), fere ad verbum.

2. Notatur etiam quod C.I.C. can. 1322 § 2 habet: « Veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur ». Sed in revisione

huius textus dicitur « omnes homines », unde etiam catholici. Sed christifideles catholici non iam obligantur Ecclesiam amplecti, eo quod in Ecclesia sunt. Relinquitur ergo ut sermo de omnibus hominibus esse non possit (Card. Parecattil).

R. Observatio fundamento caret: refertur ad veritatem amplectendam et non ad Ecclesiam. Et insuper ad generale praeceptum amplectendi veritatem omnes tenentur etsi aliqui iam fecerunt. Non videtur denique ulla differentia inter « omnes » et « omnes homines ».

Ad can. 708

1. Id quod canon adiungit LEF cann. 59-60 pretii minimi est, id quod omittitur grave est. Etenim can. 708 § 2 omittit « etsi definitivo actu eandem proclamare non intendat » can. 60 LEF. Unde religiosum obsequium sufficeret « doctrinae quam de fide et moribus proponit legitima Ecclesiae auctoritas », ergo etiam definitioni dogmaticae (est enim doctrina de fide vel moribus a legitima auctoritate proposita) (Card. Parecattil).

R. Admittitur: ordo §§ invertitur — § 1 fit § 2, ubi post « Eis » adiungitur « vero » — § 3 fit canon per se stans qui erit can. 708-bis. Tamen cfr. notam praeviam.

Textus est: « § 1. Religiosum obsequium praestent christifideles doctrinae quam de fide et moribus proponit legitima Ecclesiae auctoritas et devitare curent quae cum eadem non congruunt.

§ 2. Eis vero quae ab Ecclesia proponuntur tanquam de fide divina et catholica credenda, fidei obsequio adhaerendum est; tenentur igitur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias ».

Can. 708 bis: « Omnes christifideles obligatione tenentur servandi constitutiones et decreta quae ad doctrinam proponendam et erroneas opiniones proscribendas fert legitima Ecclesiae auctoritas, speciali vero ratione quae edat Romanus Pontifex vel Collegium Episcoporum ».

2. Prae oculis habeatur quod dum in § 1 et § 3 eiusdem can. 708 obligatio stricte dicta imponitur (« adhaerendum est », « tenentur »), in § 2 idem non fit (« religiosum obsequium praestent »). E contra in

LEF can. 60 invenitur « praestandum est ». Haec mutatio non iustificatur (Card. Parecattil).

R. *Cfr. notam praevidiam.*

Ad can. 709

1. Finis motus oecumenici arctius concipitur cum affirmatur in § 1: « cuius finis est plenam unitatem doctrinae inter omnes Christi discipulos parare et sic unitatem Ecclesiae redintegrare ». Dicit autem Vaticanum II: « ... tum in re doctrinali et quandoque disciplinari tum circa structuram Ecclesiae... opponuntur impedimenta ... ad quae superanda tendit motus oecumenicus » (*Unitatis Redint.* 3). Schematis textus elementa non-intellectualia ignorat (Card. Parecattil).

R. *Nihil videtur addendum quod spectat ad Ecclesiae structuram vel doctrinam. Textus videtur sufficere, cum non intendat oecumenismi definitionem tradere, sed in luce finem potiore ponere (§ 1). In § 2 loco « statutis » dicatur « latis ».*

2. Promotio motus oecumenici quidem sub *directione* Collegii Episcoporum, Sedis Apostolicae, Conferentiae Episcoporum et Episcopi dioecesiani fieri debet, sed haec *promotio* omnes christifideles attingit (Card. Willebrands).

R. *Hoc minime negatur in canone, sed de hoc non agitur. Canon intendit determinare ad quamnam auctoritatem directio et responsabilitas suprema spectat.*

Ad can. 710

Vi verborum « post receptum baptismum » excludebantur a categoria haereticorum tum non-christiani tum catechumeni qui forte aliquam veritatem fide divina et catholica credendam denegant. Et quidem recte. Sed his verbis in C.I.C. can. 1325 § 2 includuntur inter haereticos etiam acatholici christiani. Sed post Vaticanum II christiani acatholici non sunt per se haereseos culpabiles (*Unit. Redint.* 3). Canon non de haereticis sed de haeresi sermonem facit, ideoque verba « post receptum baptismum » delenda sunt, cum respiciat personas et periculum restat habendi acatholicos tamquam haereticos. Si tamen serven-

tur, definiri debent haeretici non autem haeresis et debent eadem verba adiungi etiam schismati et apostasiae, et sic porro aliis delictis canonicis, propter quae catholicis poenae luendae sunt (Card. Parecattil).

R. *Non videtur quomodo possit supprimi locutio « post receptum baptismum » quae est essentialis ad definiendam haeresim. Timor ne includantur acatholici bonae fidei omni caret fundamento, nam de culpabilitate et imputabilitate satis in iure poenali.*

Ad titulum: De Divini Verbi ministerio

Ex hoc titulo colligitur quod ministerium verbi latius patet quam munus evangelii annuntiandi, de quo in § 1. Non videtur cur in § 1 non sit aequae sermo de moderatoribus ministerii verbi quoad universam Ecclesiam, sed solum quoad munus Evangelii nuntiandi. Quoad hoc munus autem tendentia quaedam invenitur in schemate considerandi idem munus perinde ac si esset idem ac ministerium verbi vel potius magisterium ecclesiasticum. Favor quidem praebetur locutioni *Evangelii annuntiandi*; cfr. 706 § 2, 711 § 1, 712, 713, 714, 717 etc. (Card. Parecattil).

R. *Locutio « Evangelium annuntiare » sumitur sensu lato, ut in Concilio Vat. II, ubi passim occurrit. Canon desumptus est ex LG, 23. Est praeterea locutio classica, fundamentum habens in N. T. Titulus « De divini Verbi ministerio » est locutio magis technica et comprehendit praedicationem et catechesim. Minime vero deduci potest quod ministerium verbi latius pateat quod Evangelium annuntiare. Loqui praeterea de moderatoribus divini verbi quoad universam Ecclesiam, non est necesse, stante § 1.*

Ad can. 712

Mentio etiam fiat de candidatis ad sacerdotium qui « ministerium lectoris » receperunt (Card. Satowaki).

R. *Munus lectoris est legere et non praedicare.*

Ad can. 713

1. Non videtur cur sodales Institutorum vitae consecratae « in

auxilium Evangelii nuntiandi assumantur », non autem ministerio verbi (e.g. catechesi) (Card. Parecattil).

R. *Valet pro eis quoque, quia amplius est Evangelium nuntiare quam solum ministerium verbi. Ita de catechesi ad cann. 731 et 733.*

2. Addatur: « Item sodales Societatum vitae apostolicae, vi propriae vocationis » (Exc. Stewart).

R. *Canon agit de momento et consecrariis consecrationis; ex illo titulo Societatibus vitae apostolicae non applicatur quia stricto sensu non sunt « consecrati ».*

Ad can. 714

1. Mentio etiam fiat de candidatis ad sacerdotium qui « ministerium lectoris » receperunt (Card. Satowaki).

R. *Iam veniunt sub nomine laicorum.*

2. Dicatur « Christifideles laici ... vocari etiam possunt ut, si idonei et probati in exercitio ... ad normam iuris ». Verba « idonei et probati » iam erant in schemate a. 1977, can. 8, § 3 (Card. Florit).

R. *Suppressum fuit utpote non necessarium, cum iam dicatur in can. 276 § 1. Loco « Evangelii » dicatur « evangelici ».*

Ad Cap. I: De Verbi Dei praedicatione

Dicatur quod « verbi Dei praedictio » fieri debet « non tantum in ecclesiis paroecialibus » sed etiam extra ecclesias paroeciales » (Card. Satowaki).

R. *Non videtur necessarium nam contrarium nullibi dicitur. Ulteriores determinationes, iuxta diversa adiuncta localia et exigentias pastorales pertinent ad ius particulare.*

Ad can. 717

« Ex ore sacerdotum »: mens est: ex ore episcopi, presbyteri, diaconi. Melius esset aliud verbum magis generale eligere (Card. Willebrands).

R. *Locutio est conciliaris et biblica (Presbyterorum Ordinis, 4; Mal. 2, 7; 1 Tim. 4, 11; 2 Tim. 4, 5; Tit. 1, 9). Sufficenter clarificatur per verbum « sacri ministri ».*

Ad can. 718

1. Dicatur « Episcopi facultatem habent » loco « ius est » ut facilius Ordinario loci reddatur vetare Episcopo extraneo et non desiderato praedicationem (Card. Bafle).

R. *Videtur melius verbum « ius », cum agatur de vero iure, cuius tamen exercitium limitari potest.*

2. Mentio fiat etiam de oratoriis Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae (Card. Florit).

R. *Non est necessarium: dicitur quod est plus, ideo alii comprehenduntur.*

Ad can. 719

1. Prima pars canonis immutetur modo sequenti: « Presbyteri, de consensu saltem rationabiliter praesumpto rectoris ecclesiae et salvo praescripto can. 720, facultate ubique praedicandi gaudent, nisi ab Ordinario ... ».

Rationes: 1) non videtur prudens rectorem ecclesiae auctoritate privare, eo magis quod sacerdotes perturbatores ordinis et disciplinae, etsi pauci, non desunt; 2) in formulatione proposita pro can. 719 non est amplius sermo *de diaconis*, dum correspondens can. 719 Schematis loquitur *de presbyteris et diaconis*. Exaggeratum videtur quod etiam diaconi hac tam ampla facultate gaudere debeant (Card. Bafle; Exc. Stewart).

R. *Admittitur et textus erit: « Salvo ... facultate ubique praedicandi, de consensu saltem praesumpto rectoris ecclesiae exercenda, gaudent ... ». Hac mutatione peracta, videtur servanda esse in canone mentio de diacono.*

2. *Non placet:* a) nam Episcopi essent in peiori conditione cum requiratur licentia Superioris pro praedicatione in ecclesiis religioso-

rum; quod non fit pro ecclesiis non religiosis dioeceseos; b) ad errores praecavendos, ne concedatur praedicatio ubique terrarum presbyteris et diaconis; c) requiratur licentia quia odiosum est pro Episcopo eam restringere vel suspendere; d) res relinquatur uti est in iure vigenti, can. 1328 servando (Exc. Henríquez).

R. a) *In canone sequenti agitur de alia re: praedicatione nempe ad religiosos; b) sufficit modificatio introducta; disciplina vicens ad merum formalismum reducta erat.*

Ad can. 720

1. Quid de membris aliorum Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae? (Card. Florit).

R. *Reguntur iure presbyterorum saecularium.*

2. Non placet ob rationes superius (can. 719) allatas: simplex superiorissa est in meliori conditione quam Episcopus, cum nullam debeat licentiam petere (Exc. Henríquez).

R. *Animadversio non videtur fundata: agitur de re quae in natura vitae religiosae fundamentum suum habet.*

Ad can. 721

1. Proponitur: « Facultas praedicandi, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta, concedi potest etiam laicis, si certis in adiunctis necessitas id requirat aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, salvo tamen semper can. 722, § 1 ».

Ratio: ut pateat quod non sufficit simplex permissio, sed requiritur facultas ut aliquis nomine Ecclesiae praedicet.

In Germania ex indebita extensione rescripti S. Congregationis pro Religiosis d. 20 nov. 1973 introducta est aliquibus in dioecesibus consuetudo permittendi laicis (« Pastoralreferentes » ut vocant) ut hominam intra Missam diebus festis teneant. Etsi, meo iudicio, fere impossibile sit ob oppositionem parochorum, laicorum immo et fidelium hanc consuetudinem extirpare, non credo quod debeat in Codice aliqua exceptio statui. Maneat ergo can. 722 uti est (Card. Ratzinger).

R. *Non admittitur: non agitur de vera facultate sed de simplici permissione. Conferentiae Episcoporum est conditiones statuere sed in praxi est parochus qui admittit vel minus.*

2. Videretur opportunius substituendi verba « iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta », cum « magna adhibita cautela de iudicio loci Ordinarii » (Card. Siri).

R. *Interventus Conferentiae Episcoporum iudicatur necessarius uniformitatis causa.*

3. Supprimatur, vel explicite reservetur catechistis. *Ratio:* ut non evanescat differentia inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium commune (LG 10) et ut non praebeatur ansa abusibus, qui iam locum habent pluribus in locis ex indebita interpretatione Instr. *Inter oecumenici* 26 oct. 1964, n. 37 (Card. Rosales).

R. *Non videtur admittendum, quia esset principium nimis rigorosum.*

Ad can. 722, § 3

Ut videtur, verba « occasione sive alicuius festi sive rei luctuosae celebrentur » significant, inter multa alia, « nuptias et exequias ». Attamen, non est evidens. Quapropter, exoptatur ut addatur: « nuptiis et exequiis (funeribus) non exclusis », vel aliquil simile. *Ratio:* in terris missionum nuptiae et exequiae sunt optima occasio pro diffusione fidei apud infideles (Card. Satowaki).

R. *Non admittitur: textus evidens videtur et etiam amplior quam textus propositus.*

Ad can. 723

Clarius exponatur diversum munus sacerdotum et laicorum. Sacerdotes debent exponere tantum principia doctrinalia et moralia, et laicis plenam relinquere libertatem propriam faciendi opinionem in opinabilibus (Card. Rosales).

R. *Sufficit textus quia agitur de « doctrina, quam Magisterium Ecclesiae proposuit ».*

Ad can. 729, § 2

Laudatur canon (Exc. Bernardin).

Ad can. 730

1. Dictio « catechismo etiam parando » (§ 1) supprimatur et dicatur, ut in catechetica populi christiani usus fiat catechismis a Sede Apostolica approbatis (Card. Palazzini).

R. *Est impossibile Episcopo adimere ius catechismum faciendi.*

2. Melius est ut adiungatur in § 1 « collatis consiliis cum Conferentia Episcopali » ad componendum ius singulorum Episcoporum edendi catechismos cum iure Conferentiae, de quo in § 2 quoad eandem rem (Card. Florit).

R. *Negative: non potest imponi, neque opportunum videtur.*

3. Sequens proponitur textus § 3: « Apud Episcoporum Conferentiam institui potest Officium catechisticum, cuius praecipua munera sunt *promovere activitates catechisticas in territorio nationali* atque auxilio esse singulis dioecesibus *earumque Officiis catechisticis* ».

Ratio duplex est: 1) subvenire necessitatibus nationalibus (quod in schemate non dicitur); 2) collaborare cum singulis dioecesibus: in hoc contextu mentio fiat de Officio catechetico dioecesano (Card. Oddi).

R. *Sufficit textus qui loquitur de munere praecipuo illius Officii. In luce insuper ponitur quod agitur de servitio praestando, non de linea catechetica imponenda.*

Ad can. 731

1. Addatur: « Sodalium ... necnon Societatum vitae apostolicae » (Exc. Stewart).

R. *Admittitur.*

2. Proponitur: « ... necnon christifidelium laicorum, prae aliis catechistarum et *parentum capacium*; hi omnes, nisi legitime impediti, operam suam libenter praestare ne renuant », ut ratio habeatur praescriptorum cann. 729 § 2, 748 et 753 (Exc. Bernardin).

R. *Opera parentum* (de qua sufficienter in can. 729 § 2) praesupponitur in canone, sed non memoratur expresse quia in canone 731 prospicitur praesertim institutio catechetica pluribus alumnis insimul data in qua parentes agerent qua catechistae.

Addatur tamen in fine: « *Munus parentum, in catechesi familiari, de quo in can. 729 § 2, promoveat et foveat* ».

Ad can. 732

Addatur « sive per se sive per alium » (Card. Satowaki).

R. *Non est necessarium. Subintelligitur iuxta notam Regulam Iuris: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum »* (RI 68). *Ceteroquin iam indicatur per verba « curet ut ... ».*

Ad can. 735

Alia adiungatur §: « *In scholis munus efformationem religiosam impertiendi, is exercere potest qui ab Episcopo dioecesano mandatum receperit* ». *Ratio: ut exprimatur necessaria relatio cum Episcopo, cui competit vigilantia* (Card. Oddi).

R. *Non est necessarium: iam dicitur in can. 759 et praesertim in can. 764.*

Ad titulum: De actione Ecclesiae missionali

1. « *Actio* », pro sua connotatione iuridica sinon philosophica, videtur vocabulum minus aptum quam « *activitas* », quod vide in titulo decreti conciliaris *Ad Gentes*. Etsi haec activitas docendi elementis non careat, non potest cum munere docendi aequari ex toto: agitur enim de opera qua « *novellae Ecclesiae plene constituentur* » (can. 741), in quibus enim munera sanctificandi et regendi exercentur. Proinde titulus hic II cum cann. 736-747 aptius collocabitur extra Librum III *De Ecclesiae munere docendi* (Card. Parecattil).

R. *Actio specificatur per adiectivum « missionalis » et hoc sensu saepe saepius utitur in Decr. Ad Gentes, nn. 6, 16, 19 (bis) et in Presbyterorum Ordinis n. 6. Potest ergo servari. Procul dubio hic habetur locus aptior ut sermo fiat de actione Ecclesiae missionali, quia in opere missionali elementum praedicationis Evangelii praevallet.*

2. Hic Titulus coarctat « missionem » ad terras nondum evangelizatas: can. 741: « Actio prope missionalis ». Est notio nimis arcta « Actionis Ecclesiae missionalis » (Card. Willebrands).

R. *Ex can. 741 sufficienter eruitur quod datur actio missionalis late et stricte sumpta.*

Ad can. 737

1. Sollicitudo de qua in canone limitari non debet ad singulos Episcopos sed exprimere etiam oportet legitimum opus Episcoporum Conferentiae in promotione, directione et coordinatione missionalium inceptuum, ut statuitur in AG 38 et 31. Dicatur: « Ut autem Episcoporum activitas missionalis in bonum totius Ecclesiae efficacius exerceri possit, expedit ut Conferentiae Episcopales negotia moderentur quae ad ordinatam cooperationem propriae regionis spectant » (*Ad Gentes* n. 38). (Exc. Bernardin).

R. *Attenta pluries reiterata animadversione circa nimiam potestatem Episcoporum Conferentiarum cum detrimento iuris nativi Episcoporum dioecesanorum non iudicatur opportunum competentiam generalem Episcoporum Conferentiis hac in re in Codice tribuere. Hoc tamen non impedit quod Conferentia actionem coordinet, quin tamen decreta generalia vim legis habentia ferat.*

2. Ad § 1: Secundum Vaticanum II (Decretum de actione missionali Ecclesiae): « Cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi imprimis ad Collegium Episcoporum pertinet, ex quo et singuli Episcopi, utpote Ecclesiae universae atque omnium Ecclesiarum sponsores operis missionalis peculiarem sollicitudinem habeant » (Card. Willebrands).

R. *Idem in canone dicitur, sed specialem mentionem Romani Pontificis omitti non potest.*

Ad can. 738

Addatur: « item sodales Societatum vitae apostolicae » (Exc. Stewart).

R. *Cfr. responsio ad can. 713.*

Ad can. 739

Dicatur: « sive Institutorum vitae consecratae vel *Societatis vitae* apostolicae sodales ... » (Exc. Stewart).

R. *Admitti potest.*

Ad cann. 745-747: De territoriis Missionum

Conceptus « terrae missionum » pressius definiri oportet cum hodie sat vagus evaserit (cfr. can. 747) nec sit evidens utrum idem significet ac « territoria missionis » (can. 745 §). Desunt praeterea normae quibus innotescat quo iure vel quomodo territoria missionum cessent talia esse. Nam non constat utrum adhuc talia sint cum iam mittent missionarios etiam in « terras christianas », ubi sit penuria personarum pro ministeriis ecclesiasticis dum pergant adhuc accipere subsidia oeconomica propter penuriam materiale. Ex quo evenit ut penuria haec rerum materialium, non obstantibus divitiis personarum, determinare videatur statum hodiernum missionum in quibusdam locis. Quidquid de hoc sociologice sentiendum sit, videtur canonice statuendum esse: *territoria missionum ea sunt, quae ut talia a suprema Ecclesiae auctoritate agnoscuntur* (Card. Parecattil).

R. *Non est necessarium; in ordine ad canones bene intelligitur quid sibi velint. Ulterior determinatio veniet a doctrina vel a competenti auctoritate.*

Ad can. 746

Ad § 1: dicatur « promoveantur vocationes missionales *tam clericales quam laicales* »: contrapositio terminorum enim non est praecisa (Card. Freeman; Exc. O'Connell).

R. *Admittitur et supprimetur verba « clericorum et iuvenum ».*

Ad cann. 746-747

Forte hi canones melius in sectione de Ecclesiis particularibus ponerentur, vel ibi de eis referatur. Praesules enim Ecclesiarum particu-

larium rarius legere praevidentur sectionem de Opere Missionali. Positio canonum in Codice insinuare possit eos referre tantum ad dioeceses in terris missionum (Exc. Stewart).

R. Melius est ut hic maneat ratione ordinationis systematicae. Canones clare exprimunt quod volunt. Ignorantia vel negligentia Praesulum praesumi non debet.

Ad Caput: De scholis

Notio « scholae » non est clara. In C.I.C. sub titulo « De scholis » agitur de schola elementari, de schola media, de schola superiore, de Universitate Catholica, de Universitate Ecclesiastica. In novo schemate cum post Caput I « De scholis » agatur, de Universitate Catholica sub Capite II et de Universitate Ecclesiastica in Capite III, censendum est quod haec duo non comprehendantur termine « De scholis » in Capite I. Si ita est, id quod dicitur in can. 752 non applicatur ad Universitates, dum applicandum esset. Unde aut repetendum sub Capite II aut inter canones praeliminares ponendum est. Idem dicendum est etiam de aliquibus aliis canonibus sub Capite I: e. g. cann. 754 et 755 (Card. Parecattil).

R. Sub Capite « De scholis » non veniunt Universitates neque Instituta Studiorum Superiorum. Canones citati applicatur analogice. Iura et officia parentum affirmare oportet praesertim quoad scholas, quod est maioris momenti.

Ad can. 754

Potest supprimi quia superfluous. Norma videtur obvia ex una parte et restrictiva ex alia (refertur tantum ad leges). Si retinetur, assumatur sequens textus: « Christifideles, prae aliis parentes, auctoritates et societates civiles dilaudent, quae pluralismi hodiernae societatis ratione habita et debitae libertati religiosae consulentes, familias adjuvant ut educatio filiorum in omnibus scholis secundum propria familiarum principia moralia et religiosa impertiri possit » (cfr. *Gravissimum Educationis* n. 7) (Exc. Bernardin).

R. Canon supprimi non potest, quia postulatus est in consultatione. Textus qui nunc proponitur non sufficiens videtur.

Ad can. 755, § 1

Videtur repetere nonnisi quod in cann. 65 et 16 LEF habetur (Card. Parecattil).

R. *Cfr. notam praevidiam; loco « ordinis » dicatur « generis ».*

Ad can. 758, § 3

Videtur nonnisi repetere quod habetur in LEF cann. 65 et 16 (Card. Parecattil).

R. *Cfr. notam praevidiam.*

Ad can. 761

1. Supprimatur « nominandi » et interventus Conferentiae Episcoporum restringatur ad ambitum normativum, quin ad actus administrativos (nominatio) descendat. Textus ergo sit: « Loci Ordinatio pro sua dioecesi et Ordinariis locorum quorum interest pro scholis interdioecesanis, attentis normis statutis ab Episcoporum Conferentia, ius est approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur » (Exc. Bernardin).

R. *Supprimatur interventus Conferentiae Episcoporum. Non potest alia ex parte Ordinatio loci adimi ius « nominandi » magistros religionis. Notandum tamen est quod canon prospicit sive nominationem sive approbationem recte quidem valet etiam ubi non est mos nominandi.*

Ex officio: Ad ordinem canonum 760-761 quod attinet, visum est opportunum antepone *can. 761 ad can. 760, et in canone 761 insuper suppressere referentiam ad scholas interdioecesanis et addere « amovendi » post « requirat »; quapropter canon sic definitive sonat: « Loci Ordinatio pro sua dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, amovendi aut exigendi ut amoveatur ».*

Ad titulum Capitis: De Universitatibus Catholicis...

Ex officio: *Claritatis causa, verbum « catholicis » anteponatur « Universitatibus » ita ut reapse clarius sese referat etiam Institutis.*

Ad Caput: De Universitatibus Catholicis

Caput II cum titulo « De Universitatibus Catholicis aliisque studiorum superiorum institutis » habet sub se sequentem canonem: « Quae de Universitatibus statuuntur praescripta pari ratione applicantur aliis studiorum superiorum Institutis » (can. 769). Atqui Universitates Ecclesiasticae sunt studiorum superiorum instituta. Ergo et haec includuntur in can. 769 seu sub Capite II. Quod est inconveniens, cum de iis agatur in Capite III. Praeterea notio Universitatis Catholicae non apparet clara ex can. 762: illi tres fines enim, de quibus in hoc canone, attribui possunt etiam Universitatibus Ecclesiasticis (Card. Parecattil).

R. Minime. Can. 768 sese refert ad Catholica Instituta, quae differunt ab Universitatibus Ecclesiasticis; et insuper canon non intendit Universitatis Catholicae notionem tradere.

Ad can. 762

Specificetur quibusnam erigere Universitates competat et quaeritur cui competat erectionem statutaque probare Universitatis cum Facultatibus scientificis, vel philosophicis, vel humanisticis (Exc. Henríquez).

R. Unusquisque eam erigere potest; si erigitur in persona iuridica, tunc statuta approbari debent a competenti auctoritate et suis in locis providebitur.

Ad can. 763

1. Ad Universitates Catholicas quod attinet, stabiliatur quisnam statuta parare et approbare debeat, uti factum est in can. 772, § 2 quoad Universitates et Facultates ecclesiasticas (Card. Florit).

R. *Non admittitur: non est idem: Universitates et Facultates ecclesiasticae modo arctiore ab auctoritate ecclesiastica dependunt.*

2. Ut vitetur ambiguitas ex sola locutione « Universitas Catholica » dicatur: « Nulla studiorum Universitas nomen *Universitatis Pontificiae catholicae* gerat, nisi ex concessione Apostolicae Sedis » (Card. Carter).

3. Proponitur ut reassumatur textus praecedentis schematis: « Nulla studiorum Universitas nomen *Universitatis catholicae* gerat, nisi ex concessione Apostolicae Sedis vel *Episcoporum Conferentiae* » (Exc. Bernardin).

R. *Ad difficultates vitandas quae passim oriri possunt, textus hoc modo mutatur: « Nulla studiorum Universitas, etsi reapse catholica, titulum seu nomen Universitatis catholicae gerat, nisi de consensu competentis auctoritatis ecclesiasticae ».*

Ad can. 764

Ex officio: *Visum est opportunum textus hoc modo complere: « Episcoporum ... disciplinae, servata quidem earum scientifica autonomia, investigentur et tradantur, doctrinae catholicae ratione habita ».*

Ad can. 765

1. Addatur « Pontificiis » post « Universitatibus » consequenter cum animadversione ad can. 763 (Card. Carter).

2. Addatur « ad normam statutorum » ut in tuto ponantur iura docentis (Exc. Bernardin).

R. *Attentis animadversionibus et suggestionibus a quibusdam Föderationibus universitariis latis, textus § 2 ita corrigitur: « Episcoporum Conferentiae et Episcopi dioecesani quorum interest officium habent et ius invigilandi ut in iisdem Universitatibus principia doctrinae catholicae fideliter servantur ».*

3. Norma huius canonis applicetur etiam superioribus auctoritatibus (Magno Cancellario, etc.) Universitatum atque Superiorum Institutum relate ad corpus docens (Card. Rosales).

R. *Iam dictum et provisum in § 1 et profluit ex iure vigilantiae. Insuper cum verba § 2 « itemque ... removeantur » iam comprehenduntur in § 1, suppressa sunt.*

Ad can. 766, § 1

Supprimantur verba « immo, ubi expediat et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus ».

Ratio: Facultates Theologiae Catholicae ut Ecclesiae Magisterio fideles re vera maneant, debent ab Ecclesia dependere. In locis ubi Facultates Theologiae Catholicae in Universitatibus Civitatis existunt, res est hereditas temporis acti, quae tamen per Concordata, modo plus minusve satisfaciendi, regulata est. Non est vere optandum quod novae huiusmodi Facultates instituantur, nisi peculiaria adiuncta id suadeant, sicut pluries recentibus annis in Germania evenit. Quare, ad tutandam libertatem Ecclesiae in munere docendi necessarium est quod nulla Facultas Theologiae Catholicae in Universitatibus Civitatis instituaturs antequam libertas Ecclesiae in hac materia per conventionem cum Auctoritate Civitatis in tuto posita sit. Stipulatio autem huiusmodi conventionum Apostolicae Sedi reservata manere debet (Card. Bafle).

R. *Admittitur: supprimuntur verba « immo ... Universitatibus ».*

Ad can. 767

Exigentia « missionis canonicae » in discrimen grave ponere potest Institutiones universitarias, praesertim in relationibus cum Gubernio. Omittatur proinde canon (Card. Carter).

Eodem sensu Exc. Bernardin, qui censet canonem aliquo modo superfluum esse, nam sufficienter providetur per cann. 765 et 766. Eius applicatio insuper requireret magnam structuram administrativam. Quod magni interest est ut in tuto ponatur ius vigilantiae competentis auctoritatis.

R. *Textus sequenti modo modificatur: « Qui in studiorum superiorum Institutis quibuslibet disciplinas tradunt theologicas auctoritatis ecclesiasticae competentis mandatum habeant oportet ».*

Ratio: opportunius visum est sermonem instituere de mandato, quam de missione canonica quae in hoc casu non plene aequaretur cum vera canonica missione. Ceterum principium heic statuendum est quod qui theologiam docet mandato eget competentis auctoritatis ecclesiasticae.

Ad can. 770

Proponitur ut hic canon transferatur in Caput III, i. e. in Caput sequens (De Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis), uti ultimus canon Capituli.

Ratio: Instituta de quibus agitur oportet ut ab Auctoritate ecclesiastica unice dependeant, secus inconvenientia — eaque gravia — inevitabiliter pariunt (Card. Baffile).

R. Admittitur et transponitur post can. 776.

Ad Caput III: De Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis

In Capite III, can. 774 facit valere praescripta de Universitatibus Catholicis in cann. 765, 767 et 768 etiam pro Universitatibus Ecclesiasticis. Quaedam tamen normae, iam pressius definitae in *Sapientia christiana* (e. g. art. 25 de idoneitate scientifica) non debuerunt negligi quoad Universitates Ecclesiasticas. Item ex ipso codice innotescere debent effectus canonici graduum academicorum ab Universitate vel Facultate Ecclesiastica obtentorum (SC 50 § 1: « Doctoratus aliquem habilem reddit ad docendum in Facultate Ecclesiastica, licentia vero in Seminario maiore vel in aequipollenti schola superiore ») (Card. Parecattil).

R. Additiones propositae non necessariae videntur. Codex tantum essentialiores normas continere debet.

Ad can. 771

Ex officio: Uniformitatis et proprietatis linguisticae causa dicatur « studentes » loco « alumnos ».

Ad can. 772

Ad § 1: Post verbum « possunt » addere « audita Episcoporum Conferentia », quae clausula aderat in praecedenti Schemate et magni est momenti (Exc. Bernardin).

R. *Etsi praxis laudabilissima, et necessaria, non expedit ut potestas S. Sedis, cum clausula quae ad validitatem sese referat, conditionetur.*

Ad § 2: Addatur: « ... salvis conventionibus, quae a Sancta Sede cum variis Nationibus vel cum ipsis Universitatibus initiae sint »: ut concordet cum Const. Ap. *Sapientia christiana*. Etsi additio videretur inutilis relate ad conventiones cum Nationibus, de quibus sufficienter providetur in can. 2, tamen non est superflua relate ad conventiones cum ipsis Universitatibus (Card. König).

R. *Non admittitur: additio videtur superflua: conventiones, si sint, vigorem de se iam habent.*

Ad can. 775

Ex officio: Loco « *vitae consecratae* » et « *Moderatores* » dicatur « *religiosi* » et « *Superiores* ».

Ad cann. 777-787: De instrumentis communicationis socialis et in specie de libris

Hic Titulus sat negativus est: protectio contra publicationes, editiones etc., quae « detrimentum fidei aut moribus » afferre possint, maiorem partem in Titulo obtinet. Desiderantur normae de *usu* instrumentorum communicationis socialis, In can. 777, § 1 solummodo dicitur: « Ecclesiae pastores ... instrumenta communicationis socialis adhibere satagant ». Quasi omnes normae huius Tituli contra abusus militant. Normae de usu bono et proprio mediorum communicationis a communitate ecclesiali desunt. Est defectus fundamentalis in hoc Titulo (Card. Willebrands).

R. *Studio res submittetur.*

Ad can. 779

Adiungatur « *firmiter tamen praescripto can. 63 et 65 § 1, ita ut Ordinarius loci in quo publicatio fit, notitiam habeat denegationis Ordinarii auctoris* » (Card. Florit).

R. *Non admittitur: agitur de principio generali ideoque remissio non debet fieri, secus omnibus in locis repetenda esset remissio in quibus idem applicatur principium.*

Ad can. 780

Facultas edendi Libros sacrarum Scripturarum, de qua agitur in hoc canone, unice Sedi Apostolicae reservetur; itemque eorundem versiones in linguam vernaculam, cum analogia can. 792 § 2 de edendis Libris liturgicis (Card. Palazzini).

R. *Non admittitur: excessiva esset centralisatio, neque in C.I.C. haec norma habetur.*

Ad can. 782

1. In § 1 dicatur catechismos approbandos esse a S. Sede, uti statuitur in Directorio dato a. 1971 (Card. Rugambwa).

R. *Non videtur necessarium: sufficit id quod dicitur in can. 730.*

2. Proponitur ad § 2: « Sine approbatione competentis auctoritatis ecclesiasticae, in scholis, sive elementariis ... uti textus ... adhiberi non possunt libri qui... », quia etsi editi sine approbatione, possunt postea a competenti auctoritate approbari (Excc. Bernadin et O'Connell).

R. *Textus propositus rigidior est nam exigit approbationem aut licentiam praecise ad hoc ut tanquam textus adhibeantur vel in ecclesiis exponantur aut vendantur. In canone e contra sufficit licentia generalis data ut edantur et nulla alia exigitur ut in scholis adhibeantur aut in ecclesiis vendantur. Ut tamen ratio habeatur animadversionis, in § 2, post « editi sint », addatur: « aut ab ea postea approbati » et in § 4 in fine: « aut ab ea postea approbati ».*

3. § 3 tribus componatur partibus, quarum *prima* respicit omnes scriptores rerum religiosarum, cuius textus erit: « Commendatur ut libri ... loci Ordinarii »; *secunda* respicit clericos: « Clerici autem attenti munere peculiarique responsabilitate sibi propriis, scripta huiusmodi ne edant nisi de licentia Ordinarii loci, ad normam can. 779 »; *tertia* respicit sodales Institutorum vitae consecratae, cuius textus erit:

« Institutorum vitae consecratae sodales necnon membra Societatum vitae apostolicae ut scripta... » ut in can. 787. Hoc modo unico in canone erunt normae quae eandem materiam respiciunt et vitatur ne duplex approbatio, Ordinarii nempe et Superioris, a religiosis requiratur. Non sufficit insuper simplex commendatio pro clericis (Card. Florit).

R. *Melius est ut textus servetur uti est, quia desumptus ex documento S. C. pro Doctrina Fidei. Quaestio est perdifficilis et asperrimae applicationis practicae.*

4. In § 4 supprimantur verba « editi sint », nam optimae possunt dari publicationes ab aliis ecclesiis christianis editae quae etiam Episcopus catholicus probare potest (Card. Freeman; Exc. Bernardin).

R. *Non admittitur, quia non necessarium. In fine addatur: « aut ab ea postea approbati ».*

Ad can. 786

1. Quaestionem magni momenti etiam in rebus politicis tractare mihi videtur, quia opiniones diversae fideles confundunt. Canon componatur tribus §§:

§ 1: ut est, perficiendum in « et rationabili de causa ».

§ 2: « clerici et Institutorum vitae consecratae sodales, tantummodo de licentia loci Ordinarii, ad quaelibet themata, instrumentis communicationis socialis uti poterunt ».

§ 3: « Episcoporum Conferentiae est normas statuere de requisitis ut clerici atque sodales Institutorum vitae consecratae partem habere valeant in tractandis *habitualmente, in instrumentis communicationis socialis*, quaestionibus quae ad doctrinam catholicam aut mores attinent » (Card. De Araujo Sales).

R. *Provisum iam sufficienter cum textu, qui satis clarus videtur. Tantum loco « vitae consecratae », in utraque §§, dicatur « religiosorum », quia membra Institutorum saecularium uti laici sese gerunt.*

2. Prae oculis habitis malis quibus Ecclesia afflicta est disciplinae relaxationis in hac materia causa, supprimatur postrema pars canonis et in altera § dicatur: « Clerici autem et Instituti vitae consecratae sodales in diariis foliis aut libellis ab Auctoritate ecclesiastica non adpro-

batis ne conscribant nisi de licentia generali vel singulari Ordinarii » (Card. Siri).

R. *Textus canonis desumptus est ad litteram ex Decreto S. Congr. pro Doctrina Fidei, d. 19 martii 1973, art. 5, 2.*

Ad can. 787

Oporteret ut terminologia ad Superiorem vel Moderatorem quod attinet uniformi modo utatur (Card. Florit).

R. *Admittitur: loco « Moderatoris », dicatur « Superioris », ratione uniformitatis.*

Ad titulum V: De Fidei Professione

Fidei professio, in qua non est quaestio de recta fide eandem emit-tentis sed potius agitur de promissione fideliter adimplendi munus assu-mendum (e. g. promotus ad episcopatum vel ad curam animarum paroe-cialem) vix pertinet ad librum *De Ecclesiae munere docendi*, saltem non exclusive nec principaliter. Unde hinc tollendus videtur (Card. Pare-cattil).

R. *Non admittitur: nam huius Tituli contentus relationem aliquam habet cum munere docendi et non est verum respicere tantum officium fideliter implendum.*

Ad can. 788, ad 6°

Ex officio: *Supprimitur « iuris canonici », cum ius canonicum sit disciplina vel materia theologica; secus mentio facienda esset etiam de historia ecclesiastica, liturgia, sacra Scriptura, etc.*

LIBER IV
DE ECCLESIAE MUNERE SANCTIFICANDI

Animadversiones generales

1. Valde laudandus est titulus « De munere sanctificandi ». Cor enim Codicis est « salus animarum suprema lex » (Card. Rosales).

Fidelis applicatio harum normarum corrigere permittet abusus hinc inde exurgentes ex erronea applicatione « renovationis liturgicae » non tantum praeter sed etiam contra spiritum et Decreta Concilii Vaticani II (Card. Rosales).

In specie *valde* placent:

— Obligatio baptizandi infantes quanto citius et etiam foetus abortivos.

— Realis praesentia Domini Nostri post celebrationem Eucharisticam et proinde normae circa adorationem Sanctissimi Sacramenti.

— Normae de absolutione collectiva et claritas praescripti iuxta quod confessio auricularis et secreta unicum medium ordinarium ad receptionem et administrationem Sacramenti Paenitentiae est.

— Normae de sede confessionalis « crate fixa » instructa.

— Reaffirmatio essentialis differentiae inter sacerdotium commune et sacerdotium ministeriale; quam abusiva experimenta liturgica obscurarunt (Card. Rosales).

2. Miscere oportet locutionem « *celebrare* sacramenta » cum aliis traditionalibus, veluti « *confectio* », « *administratio* », « *receptio* », quia « *celebratio* » praesentiam communitatis postulat (quod recte urget Schema). Usus tamen exclusivus huiusmodi locutionis eo tendit ut differentia inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium commune diluatur (Card. Rosales).

R. *Etiam aliae locutiones aliquando adhibentur sed congruenter cum scientia et reformatione liturgica favor praebetur verbo « celebrare ».*

3. Vita sacramentalis praesentata est non uti celebratio communis christianae; sed, e contra, adpectus hyerarchicus et character « individualista » legislationis sunt nimis sublineati (Card. Florit).

R. *Observatio nimis generalis est in prima parte et fundamento caret in altera; ideoque non videtur admittenda.*

4. Canones generales graviter dimensionem ontologico-culturalem missionis sanctificationis sublineant absque sufficienti mentione dimensionis ontologico-ethicae supernaturalis. Mirum est quod de charitate eiusque primatu mentio non habeatur (Card. Suenens).

R. *Non bene intelligimus quid in concreto significet huiusmodi animadversio.*

5. Loco « munus sanctificandi », dicatur « munus sacerdotale » (Card. Willebrands); vel dicatur « De cultu divino et de Eccl. munere sanctificandi » (Exc. Stewart).

R. *Non datur ratio cogens, cur titulus modificandus sit sensu proposito. Verbum latinum « sanctificare » duplicem habet significationem: sanctos facere (i. e. homines) et sanctum (sc. Deum) glorificare « respectus cultualis ».*

Titulus praeterea per eius contentum (i. e. canones) sufficienter illustratur et nullum adest dubium quod in Libro IV unum et alterum adpectum in luce veniant.

Praeterea trias (munus docendi, sanctificandi, regendi) magis Codici congruit et a Concilio Vat. II pluries usitatur (LG 21; UR 2; CD 11, 15, 30; AA 2; PO 2, 7).

Ad can. 789

Ad § 1: Denuo componatur iste canon et canon 790 conceptum charitatis introducendo. Substituatur verbum « praesertim » cum « modo omnino peculiari » (Card. Suenens).

R. *Admittitur tantum substitutio verbi « praesertim » cum « peculiari modo »; cetera remanent prouti iacent cum desumpta sint ex n. 11 Const. Sacrosantum Concilium.*

Ad § 2: 1. Praescriptum § 2, ex Codice viginti desumptum, contradicere videtur § 1, quia unum tantum aspectum liturgiae considerat, scil. refertur tantum ad « actus cultus » qui totam liturgiam minime comprehendunt. Contradicit quoque Const. SC 29, quatenus munus liturgicum laicorum non videtur ex sacramentis baptismi et confirmationis, sed ex aliqua « deputatione » promanare. In contradictione praeterea est cum can. 790 et cum § 1 praesentis canonis (Cardd. Willebrands, Schröffer et Marty).

R. *Servanda videtur §, nam necessarium est ut sciatur quandonam concrete actus liturgici habeantur. Deputatio de qua est sermo non est tantum quae actu particulari provenit, sed etiam ex sacramentis de qua loquitur S. Thomas et Const. dogm. Lumen Genium, n. 11: « Fideles per baptismum... ad cultum... deputantur ».*

2. Addatur « nomine Christi » (Exc. Coffy).

R. *Non est necessarium ut iterum dicatur, iam enim in textu habetur « ... ut Iesu Christi muneris sacerdotalis exercitatio ... ».*

Ad can. 790

Secundum can. 789, § 1, loco « cultus » de *liturgia* sermo esse debet (cfr. SC 7 et can. 789, § 1) (Cardd. Willebrands et Schröffer).

R. *Potest remanere uti iacet, nam in casu verbum « cultus » magis exprimit quam « liturgia » aspectus participationis fidelium celebrationibus; quae participatio ex fide procedere debet.*

Ad can. 791, § 2

Supprimatur quia superflua (Exc. Bernardin).

R. *Videtur utilis et a multis in consultatione approbatus.*

Ad can. 792

Ad § 1: Post verbum « Episcopum » addatur « dioecesanum » (Excc. Bernardin, Coffy).

R. *Admittitur.*

Ad § 2: 1. Supprimatur verbum « universae », quia secus textus non concordat cum iure vigenti (Card. Willebrands).

R. *Ex can. 1 plane eruitur verbum universae ad Ecclesiam latinam tantum applicari; ergo non supprimatur.*

2. Proponitur ut dicatur « ... in linguas vernaculas *ab auctoritate ecclesiastica territoriali approbata* (probare seu) *confirmare* necnon *advigilare*... » (Cardd. Marty, Willebrands, Schröffer).

R. *Loco « approbare » dicatur: « recognoscere ». Notetur tamen accurate quod hac modificatione, ratione tantum uniformitatis terminologicae cum can. 330 introducta, nullo modo mutatur sensus legis. Recognitio (veluti approbatio, confirmatio) denotat in casu actum superioris auctoritatis competentis quo permittitur auctoritative (autorizzare, biligen) promulgatio legis ab inferiore factae. Quae recognitio non est tantum formalitas quaedam, sed actus potestatis regiminis, absolute necessarius (eo deficiente actus inferioris nullius valoris est) et quo imponi possunt modificationes, etiam substantiales in lege vel decreto ad recognitionem praesentato. Actus tamen (lex vel decretum) non fit auctoritatis superioris sed manet semper actus auctoritatis quae illum statuit et promulgat. Quod erat et manet sensus canonis.*

3. Adiungatur « latinos » post « libros liturgicos » (Exc. Coffy).

R. *Minime. Codex respicit unam Ecclesiam Latinam.*

Ad § 3: 1. Loco « versiones... edere praevia approbatione Sanctae Sedis », dicatur: « versiones ... edere praevia *confirmatione* (vel sicut in can. 330, § 2, habetur "*recognitione*") Apostolicae Sedis (Cardd. Willebrands, Marty, Schröffer et Exc. Coffy).

Ratio, quae pro utraque §§ valet, est quod textus opponitur praescriptionibus Const. SC 22, § 2 et 36, §§ 3 et 4, necnon M. P. *Sacram Liturgia*, praxi postconciliari non impugnatae immo inductae ab Apostolica Sede.

R. *Admittitur et loco « approbatione » dicatur « recognitione ».*

2. Non requiratur approbatio S. Sedis quia inhabilis, inspectis diversissimis linguis (Exc. Pimenta).

R. *Cfr. responsionem ad 1.*

Ad can. 793

Non solum « pia », sed etiam « *sacra exercitia* » nominentur (cfr. SC 13 et Kaczinski, *Enchiridion*, ad v. « *sacra exercitia* ») (Card. Willebrands).

R. *Admittitur.*

Ad Partem I: De Sacramentis

Liber IV redundat theologicis considerationibus, quae quidem uti prooemium theologicum ad singula sacramenta praeponendae sunt, ut fit in legislatione post-conciliari vel transferendae ad LEF quia valent etiam pro Ecclesiis Orientalibus (Exc. Bernardin).

R. *Natura huius libri postulat praemissas theologicas, quae de cetero sunt breves et cum moderatione exaratae. Hae rationes, cum theologis clarae fama concordatae, a multis laudantur.*

Ad can. 794

1. Quaedam introducuntur quae non exstabant in canone veteris Codicis 731, § 1, quaeque caute perpendenda sunt. Ita sacramenta dicuntur « signa » exstare ac « media quibus fides exprimitur ac roboratur »: quod revera non semper evenit. In baptizato, e. g., matrimonium contrahente, qui sit indifferens in fide vel qui notorie catholicam fidem abiecerit, per receptionem sacramenti matrimonii, non exprimitur nec roboratur fides. Melius esset si servaretur can. 731, § 1, veteris Codicis (Card. Palazzini).

R. *Potest remanere uti est, nam sacramentum validum semper Ecclesiae fidem exprimit.*

2. Ut fit in can. 789, ordo invertatur, primum veniat « hominum sanctificatio », « deinde cultus » (Card. Willebrands et Exc. Coffy).

R. *Necesse non est. Ordo postulatus iam invenitur in can. 789.*

3. Ultima verba sint: « ... quapropter in iis conficiendis, administrandis et recipiendis summa veneratione... » (cfr. animadversio generalis ultima) (Card. Rosales).

R. *Non admittitur: Codex debet esse succinctus et sobrius. Ad finem in animadversione intentum sufficit ut aliquando in Codice adhibeatur verbum « administrandi » vel « conficiendi », quod fit, etsi locutio magis adhibita, congruenter liturgicae reformationi, est « celebratio ».*

Ad cann. 795-797

E formulatione horum canonum deduci potest quod minister catholicus omnia sacramenta « valide » administrare potest etiam « acatholicis non-baptizatis ». Administratio erit tamen « illicita ». Ad omnem ambiguitatem removendam, nova et accuratior redactio vel formulatio desideratur. Ubi tractatur de unoquoque sacramento, res fit clarior; attamen, in his canonibus (i. e. 795-797), res non est satis clara (Card. Satowaki).

R. *Non admittitur, cum clarus videatur textus, nam in § 1 can. 795 dicitur « qui baptismum non receperit ».*

Ad can. 795, § 1

Compleatur adiungendo « valide » post « baptismum » (Card. Florit).

R. *Admittitur et textus modificatur: loco « non valet » dicitur: « valide admitti nequit ».*

Ad can. 796

Ad § 1: Loco « opportune » adhibeatur adverbium « legitime », utpote magis usui iuridico consentaneum (Card. Florit).

Ad § 2: Initio ponantur verba « Posita relatione quae intercedit inter verbum Dei, fidem et fructuosam sacramentorum receptionem, animarum pastores... », ad innuendam saltem in obliquo relationem inter Verbum Dei et sacramenta (Card. Florit).

R. *Ad § 1: Non admittitur, quia « opportune » refertur ad circumstantias et non ad legem.*

Ad § 2: Non admittitur cum non sit legis dare rationes.

Ad can. 797

Desideratur melior ac magis clara formulatio totius materiae, ad vitandas erroneas doctrinas in re tanti momenti (Card. Palazzini).

R. *Non admittitur cum observatio nimis generalis sit et textus desumptus sit ex Directorio oecumenico.*

Ad §§ 2, 3, 4: Nimis laxus textus videtur. In § 2 sufficit « vera spiritualis utilitas » ... quod viam patefacere posset innumerabilibus abusus.

In § 3 nulla requiritur ratio iustificans. Praesertim Sacra Eucharistia, cum sit sacramentum praestantissimum unionis, rarius administranda videtur iis qui communionem plenam non habent. Valetne catholicus ordinarius diiudicare utrum in aliqua secta valida habeantur sacramenta? Melius videtur si §§ 2, 3, 4 haberetur conditio « si adsit periculum mortis, aut alia, de iudicio Episcoporum Conferentiae aut Ordinarii loci, urgeat gravis necessitas » (Exc. Stewart).

R. *Normae iam in usu sunt. Desumptae sunt ex Decr. OE, n. 27, et ex « Directorio de re oecumenica », nn. 42-47, 55. Habetur tamen quod requiritur, iudicium, nempe, auctoritatis competentis.*

Ad § 5: Loco « *favorabilem exitum consultationis* » dicatur: « *consultationem* » quia activitas legislativa interna Ecclesiae vinculari non potest consensui partis non catholicae, sine eventuali praeiudicio pastoralium necessitatum (Cardd. Ratzinger et Freeman). Atque nimis et sine necessitate restringit potestatem Ecclesiae et serias in praxi gignit difficultates (Cardd. Hume et Freeman; Exc. O' Connell).

R. *Admittitur.*

Ad can. 799

Transferri potest inter canones generales post can. 792, eo quod valet pro omnibus quae liturgiam spectant. Nam etiam Officium Horarum et Sacramentalia celebrari debent iuxta libros rituales (Card. Florit, Exc. Bernardin).

Si non transfertur, proponitur ut eius initium sit: « *In actionibus liturgicis, praesertim in sacramentis... servantur libri...* ». Melius est uti

verbo « libri » quam « Ordines », cum isti sint partes vel tituli librorum liturgicorum proprie dictorum (Card. Florit).

R. *Admittitur: textus § 1 sensu proposito modificatur.*

Ad can. 800

Aliqua desideratur indicatio circa tempus quo olea benedicenda sunt (v. gr. in Missa chrismali). Addere oportet etiam indicationem in casu quo oleum benedictum deficiat (can. 734, § 2 C.I.C.) (Exc. Bernardin).

R. *Agitur de praescriptionibus liturgicis, non necessario in Codice exprimendis.*

Ad can. 801

Dicatur « a competenti auctoritate forte definitas », ne libertas competentis auctoritatis auferatur (Card. Florit).

R. *Non admittitur, nam canon non vult imponere definitionem taxarum.*

Ad can. 802

1. Secus ac in LG 11, *Ordo baptismi parvulorum*, 15-5-1969, *De initiatione christiana*, Praen. gen. 2, etc., « incorporatio Ecclesiae » non primo sed ultimo loco ponitur (Card. Willebrands).

R. *Ordo quem textus sequitur ad baptismi effectus quod attinet iustificatur relate ad Symbolum (confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum) necnon ad doctrinam S. Pauli in Rom. 6 (cfr. etiam Decr. Ad Gentes, n. 14).*

2. Omittatur « in re vel saltem in voto necessarius », nam conceptus baptismi « in voto » clarus non est, et alia ex parte nullum habet iuridicum momentum, immo confusionem quandam gignere posset in ordine ad praescriptam validitatem lavacri aquae (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Non admittitur: servanda est clausula « vel saltem in voto », quae iam in can. 737 C.I.C. continetur et magni est momenti quoad doctrinam.*

3. Idea exprimat quod baptismum primum est sacramentorum christianae initiationis et ianua aliorum sacramentorum, per quem homines Christo et Ecclesiae incorporantur (Exc. Coffy).

R. *Dicitur iam in can. 795, § 2 et non est necesse ut iterum dicatur.*

Ad can. 805, § 1

Comparatione facta cum can. 806, melius esset in casu minoris applicare can. 97, § 2, vel aetatem fixare 14 annorum pro ritus electione in quo baptizari, per analogiam cum can. 109, § 2, n. 3 (Card. Florit).

R. *Ad electionem ritus quod attinet, can. 806 sensu proposito modificatur; ad cetera tamen oportet ut canon maneat uti iacet.*

Ad can. 806

1. Vox *ritus* refertur in canone ad caerimonias liturgicas, ut videtur. Si ita, vix loqui possumus de « caerimoniis liturgicis parentum », vix dicere possumus quod « parentes ad diversas caerimonias liturgicas pertinent » etc.

Si vero vox *ritus* significat etiam in hoc canone « Ecclesiam ritualement sui iuris », haec magis expresse dicenda sunt.

Quid sit « ritus catholicus » in iure non patet. In C.I.C. can. 756 termini hi non habentur. Caeremoniae liturgicae baptismi in libris liturgicis Orthodoxorum et Catholicorum in nullo differunt, unde externa quadam ratione « ritus » fit « catholicus »: e. g. si a ministro catholico est collatum, si ab auctoritate catholica adprobatus est (Card. Parecattil).

R. *Non admittitur. In can. 18, § 1, schematis canonum « de cultu divino et praesertim de sacramentis » a P.C.C.I.C.O.R. exarati vox « ritus » eodem utitur sensu ac in nostro schemate.*

2. *Ad § 1:* Non expedit ut tamquam adultus in ordine ad ritus electionem consideretur qui usum tantum rationis attingerat (cfr. can. 805, § 1). Statuatur v. gr. aetas 16 annorum ut statuitur in can. 817 (Exc. Bernardin).

R. *Admittitur: analogia cum can. 109, § 2, n. 3 aetas statuatur 14 annorum, proinde textus erit:*

« § 1. Qui decimum quartum aetatis annum attigerit, baptizetur ritu libere ab ipso electo.

§ 2. *Infra hanc aetatem baptizetur ritu parentum ... ».*

3. Non placet ut *adulto*, qui baptizatur, concedatur libertas seligendi ritum. Debet baptizari in ritu familiae ad quam pertinet, nisi iusta causa aliter suadeat.

Magis simplex et clara est norma can. 756 C.I.C. (Exc. Henríquez).

R. *Non admittitur: non videtur quanquam de ratione restringenda est haec libertas.*

4. *Ad § 2: a)* Plures in re difficultates habentur, etiam ad § 2 quod attinet, quae in schematibus Commissionis Orientalis alio modo concipiuntur (Card. Parecattil).

R. *Non videntur difficultates quae persentiuntur, nam canones respiciunt disciplinam Ecclesiae Latinae.*

b) In casu conflictus inter parentes forsitan interventus auctoritatis ecclesiasticae utriusque ritus peti posset (Card. Florit).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad can. 810

1. *Vigilia Paschatis* rectius ponatur tamquam tempus normale quo baptismus celebretur, saltem pro adultis et infantia egressis, ergo ante « diem dominicam » ponatur (Card. Willebrands, Exc. Coffy).

R. *Non admittitur: esset contra realitatem, quia tempus vigiliae Paschatis etsi tempus liturgice « privilegiatum » non est tempus in quo de more baptismum administratur. Esset praeterea contra praescriptum can. 821.*

2. Longa dilatio baptismi celebrationis vitetur (Card. Siri).

R. *Provisum in can. 821.*

Ad can. 811

In fine textus addatur « praemonito, in hoc casu, paracho competenti » ut ius parochi et causa pastoralis in tuto ponatur (Card. Florit).

R. *Non est necessarium: hic tantum de loco sermo est, de aliis alibi.*

Ad can. 814

Conflictus videtur haberi inter Ordinem Bapt. parvulorum, n. 12, qui dicit « in domibus privatis, extra mortis periculum, ne... » et hunc canonem, ubi sermo tantum fit de casu necessitatis et loquitur de causa tantum iusta, ne quidem gravi (Card. Florit).

R. *Admittitur et loco « iusta » dicitur « gravi ».*

Ad can. 815

Ad § 1: Canon formulatur ita ut de « ministro ordinario » sermo non fiat. Formula « minister ordinarius » in baptismo, ex Rituali Romano Concilio Vat. II anteriori desumpta est (« ex errore » apparet etiam in *Ordo baptismi parvulorum* a. 1969). In C.I.C. hae voces (can. 738) opponebantur « ministro extraordinario », qui diaconus fuit (can. 741). Nunc opponuntur iis de quibus in § 2 qui tamen nomine « ministri extraordinarii » non veniunt. Dicatur: « Baptismus confertur *ordinarie* ab Episcopo, presbytero et diacono, firmo can. 469 » (Card. Parecattil).

R. *Codex unam tantum Ecclesiam latinam respicit (can. 1), nulla ergo videtur ratio cur derelinquenda sit locutio in Ecclesia latina traditionalis, in C.I.C. usitata et in recenti « Ordo baptismi parvulorum », n. 11 ex quo canon ad litteram desumptus est.*

Ministri extraordinarii sunt ceteri omnes qui baptismum administrari possunt, ideoque ii qui in § 2 nominantur. In C.I.C. agebatur de « baptismo sollemni », de quo hodie amplius sermo non fit, sed locutio « minister ordinarius » suum servat valorem.

Nescimus rationes Eminentissimi animadvertentis ad affirmandum quod « ex errore » huiusmodi locutio apparet in « Ordo baptismi ».

Ad § 2: Forsan prae oculis habendi erunt acolythi et lectores dicendo: « Absente... licite baptismum conferunt *ministri instituti* vel catechista... » (Card. Florit).

Praeter Decr. Ad Gentes prae oculis habeatur M. P. Ministeria quaedam ideoque proponitur ut:

a) vel supprimatur mentio de catechista dicendo: « Absente aut

impedito ministro ordinario, licite baptismum confert qui ad hoc munus ab Ordinario loci deputatus est... »;

b) vel omnes recenseantur: « Absente aut impedito ministro ordinario, licite baptismum conferunt lector, acolythus, catechista aliusve ad hoc munus... » (Card. Primatesta).

R. *Non admittitur, nam acolythi et lectores non ad hoc praecise instituuntur, dum e contra hoc munus praevидetur in ritu institutionis catechistarum.*

Opportunum videtur ut recolatur can. 743 C.I.C.: « Curent parochi ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant » (Card. Siri).

R. *Sufficit quod in canone dicitur: « de recto baptizandi modo edoceantur ».*

Ad can. 817

1. Quaestio de ministro iam in « Ordo initiationis christianae » regulatur, ergo vi can. 2, canon iste superfluous est. Si tamen manet, terminus 16 annorum videretur arbitrarius (Card. Willebrands).

R. *Non admittitur: res determinatur in normis liturgicis nn. 44 et 66 Ordinis Bapt. adultorum; ex se omnes adultorum baptismi reservantur Episcopo. Textus sequenti modo modificatur: « Baptismus adultorum, saltem eorum qui... ab ipso celebretur », ita ut terminus adultus clarior evadat.*

2. Tribuatur Episcopo diocesano ius decernendi utrum sibi reservare, vel minus, baptismi celebrationem eorum qui maiores sint 16 annorum (Exc. Bernardin).

R. *Quod postulatur iam continetur in canone, nam Episcopus non obligatur ad conferendum ipse baptismum (« si id expedire iudicaverit »).*

Ad can. 819

Ad § 1: Post « sit probatus » adiungatur « prae oculis habito can. 743 » (Card. Florit).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad § 2: In periculo mortis adultus non tantum baptizari sed etiam

confirmari debet et proponitur ut textus sit: § 2 « Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari et confirmari, attentis normis liturgicis, potest, si aliquam ... quovis modo intentionem suam baptismum confirmationemque recipiendi manifestaverit et servandi christiane religionis mandata » (Exc. Bernardin).

R. *Quoad confirmationem sufficiunt cann. 837, n. 3; 839; 843, § 2.*

Ad can. 820

Supprimatur « nisi iusta obstet ratio » quia momentum initiationis christianae enervat. Si servatur, loco « iusta » dicatur « gravissima » (Exc. Bernardin)

R. *Admittitur: dicatur « gravis ».*

Ad can. 821, § 1

Maiori cum rigore affirmetur oportet ius et officium parentum curandi ut infantes baptizentur, contra etiam praescripta iuris civilis, si quae sint limitantia vel prohibentia (Card. Palazzini).

R. *Sufficiens videtur textus.*

Ad can. 822

Ad § 1: Ne abusus introducantur, expedit ut in fine n. 2 dicatur « *Parochi est, ratione habita ordinationum Conferentiae Episcopalis, statuere de tempore quo baptizandi ... quorum parentes nondum sint praeparati ad profitendam fidem ...* » (ex n. 8, 4 « *Ordo Baptismi parvulorum* ») (Card. Florit).

Ad § 2: Verba « nisi exinde ... in religionem » non sunt necessaria, quia illa praevisa reactio esset malum minus (Card. Florit).

R. *Ad § 1, n. 2: Admittitur et textus erit: « baptismus secundum praescripta iuris particularis differatur, monitis ... ».*

Ad § 2: Admittitur et verba « nisi ... religionem » supprimuntur.

Ad can. 823

Ad § 1: Proponitur: « ... permanente, baptismus eidem conferatur » quia liturgice minus convenit celebratio sub conditione (Card. Carter).

R. Textus canonis sustineri videtur quia celebratio liturgica sub conditione theologicæ admittitur et fundamentum habet.

Ad § 2: Canon de aliis probationis mediis rationem non habet, v. gr. per certificationem in Ecclesia in qua baptismus validus habetur, ex. gr. orthodoxa, quapropter sequens proponitur textus: § 2 « Ad baptizatos ... validitate; non autem sunt sub conditione baptizandi, nisi, inspectis baptismi adiunctis, seria ratio de baptismi validitate dubitandi adsit » (Exc. Bernardin).

R. Textus schematis non excludit alia media; praebet elementa potiora ad validitatem diiudicanda. Notatur insuper Ecclesias Orientales orthodoxas in schemate sub nomine communitalis ecclesialis non venire: canon ergo eis non applicatur.

Post § 2: Adiungatur admissionem eorum qui iam baptizati sunt in plenam communionem cum Ecclesia catholica fieri iuxta praescriptiones in libris liturgicis contentas (Exc. Coffy).

R. Necesse non est cum ius liturgicum suam habeat vim.

Ad can. 824

Addatur « firmis praescriptis canonis 822 » (Exc. Bernardin).

R. Principium canonis huius generale est et applicatur etiam in casu can. 824 quin remissio requiratur.

Ad can. 825

Dubitatur de opportunitate praescripti, eo magis quod deest conditio « si vivant », quae habebatur in priore schemate (Card. Willebrands).

R. Clausula « si vivant » ex errore machinae transcribentis omissa fuit.

Ad can. 826

Praescribatur modo magis praeciso praesentia patrini iuxta ea quae in « Ordines liturgici » habentur (e. g. Praen. Ordo Baptismi parvulo-

rum); a qua tamen dispensari potest iusta et proportionata causa (Card. Florit).

R. *Sufficit textus.*

Ad can. 827

Textus clarior esset si initio ponerentur verba n. 6 « Praen. Ordo Baptismi parvulorum »: « *Pro unoquoque baptizando patrinus ...* » (Card. Florit).

R. *Textus sufficienter clarus videtur, et timenda non est erronea interpretatio.*

Ad § 2: 1. Explicitare oportet quandonam « deficit patrinus », nam locutio illa evidens non est. Praeter casum mortis aut ab Ecclesia separationis nescitur quandonam iuridice patrinus deficiat. Si in aliam transmigravit regionem vel si suum officium non adimplet? (Card. König).

2. Non placet quia ratio non videtur huius innovationis: esset mera fictio iuris, contra veritatem rei. Sufficit § 1. (Exc. Henríquez).

R. *Supprimatur paragraphus.*

Ad can. 828

Ad § 1, n. 2: Proponitur ut dicatur « nisi alia aetas a Conferentia Episcopali statuta fuerit » ad habendam uniformitatem in aliquo territorio (Card. Florit).

R. *Non admittitur, cum textus videatur sufficere.*

Ad § 1, n. 3: Post « iam receperit » adiungatur « doctrinae catholicae sufficienter sit edoctus » ut saltem rudimenta fidei patrinus noverit (Card. Florit).

R. *Non admittitur, cum iam satis exprimatur verbis « vitam ducat fidei ... congruam » et voce « aptitudinem » (n. 1).*

2. Iuxta Directorium Oecumenicum orientales non catholici possunt una cum catholico ad munus patrini admitti, quod non amplius in schemate invenitur (Card. König, Exc. Bernardin).

R. *Non videtur necessarium in Codice pro Ecclesia latina hoc exprimendum.*

4. Magis determinetur textus « vitam ducat ... », ne « divorziati » vel civiliter matrimonio iuncti sese praesentent uti patrini (Exc. Henríquez).

R. *Ulterior determinatio ad legem pertinet particularem.*

Ad can. 831

Ad § 1: Addatur: post « necnon » verba « si adsint ad normam canonis 828 vel 829, testibus » (Exc. Bernardin).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad § 2: 1. Si de infante baptizando agatur e matre non nupta nato, matris nomen inserendum est si publico documento de eius maternitate constet; item nomen patris inscribendum est si eius paternitas probatur aliquo publico documento; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus, nulla facta de patris aut parentum nomine indicatione, quia documentum de recepto baptismo vim habet in tribunalibus civilibus (Exc. Bernardin). Et *addatur § 4* cuius textus sit: « Si documenta publica non adsint, Ordinarius loci consulatur » (Exc. Bernardin).

R. *Non est ratio sufficiens cur Ecclesia suam mutet disciplinam vel in tam delicata quaestione a documento publico pendat.*

2. Supprimantur clausulae: « scripto vel coram duobus testibus » et « sive aliquo publico documento sive ipsius declaratione coram parrocho et duobus testibus facta » (Card. Carter).

R. *Melius est ut textus servetur prouti iacet, cum de re magni momenti agatur de qua iuridice constare debet.*

Ad can. 832, § 2

Supprimatur, prae oculis habitis difficultatibus ex magnitudine paroeciarum et deficientia sacerdotum promanantibus. Remaneret littera mortua (Card. Primatesta).

R. *Admittitur observatio et textus supprimitur.*

Ad can. 833

1. Uti in can. 802 sermo est de Christo configuratione et in can. 961 de actione in persona Christi, ita pro confirmatione mentio habeatur de profundiore configuratione quae per hoc sacramentum Christo fit; ideoque post verbum « perfectius », adiungatur « *Christo configurantur Ecclesiaeque ...* » (Card. Florit).

R. *Non necessaria videtur additio cum omnia semper dici nequeant.*

2. Opportune retinetur clausula « speciali S. Spiritus robore » (LG, 11 et in priore schemate), ad aequivocas interpretationes praeveniendas (Card. Willebrands).

R. *Servetur textus, nam expressio « Spiritus Sancti dono ditantur » ipsi formulae sacramentali correspondet. Ideo etiam robur « ... eodem roborat » praesens est.*

Ad can. 834, § 1

Textus clarus non videtur nec conveniens declarationi an. 1972 Pont. Commiss. DD. Concilii Vat. II interpretandis et quaeritur:

- 1) quomodo « unctio » proprie « manus impositione » fieri possit;
- 2) num manus impositio requiri debeat, cum supradicta Commissio declaraverit unctionem cum pollice sufficere (Card. Schröffer).

Non requiritur quod unctio chrismatis in fronte fiat manus impositione, cum sufficiat chrismatio cum pollice. Cfr. Responsum Pont. Comm. pro interpretandis Decretis Conc. Vat. II, d. 9-6-1972 (AAS 64 [1972], 526) (Card. Willebrands).

R. *Non admittitur, nam non videtur bene interpretari declaratio Pont. Commiss. Decretis Conc. Vat. II interpretandis. Servanda insuper videtur schematis formula quae verba reproducit Const. Apost. « Divinae consortium naturae » in promulgatione Novi Ordinis Confirmationis (p. 14), quae, in mentem ritus historiam revocando, curam habuit signandi relationem inter chrismationem et apostolorum gestum manuum impositionis.*

Ad can. 836

Canon compleatur hoc modo « valide hoc sacramentum *tamquam minister extraordinarius* confert presbyter quoque ... », quod certe valet pro traditione latina quam Codex respicit (Card. Florit).

R. *Non videtur additio necessaria.*

Denuo scribitur *minister ordinarius* ut in C.I.C. can. 782, cum in schematibus praevis iam habeatur terminus « originarius » ex « Lumen gentium », n. 26 desumptus. Hac in re praeter terminum Concilii, ratio habita est, ut videtur, etiam disciplinae orientalium. Cur denuo retrocessio ad C.I.C. contra explicita Concilii verba? (Card. Parecattil).

R. *Terminologia schematis magis iuridica et theologica videtur et traditioni Ecclesiae latinae, pro qua Codex exaratus est, respondet.*

Ad can. 837

Ut officium parochi conferendi confirmationem in periculo mortis sublineetur, dicatur « ... parochus, *ad normam can. 469, n. 3*, immo *quilibet* ... » (Card. Florit).

R. *Non est necessarium cum in can. 469, n. 3 ad hunc canonem remittatur.*

Quaeritur utrum praescriptum sub n. 2 applicetur etiam presbytero qui ad plenam Ecclesiae communionem admittit eum qui, baptizatum in Ecclesia catholica, fidem inde ab infantia amisit (Card. Carter).

R. *Negative, ad normam responsionis Pont. Comm. Decretis Conc. Vat. II interpretandis, d. 2 dec. 1979 (AAS 72 [1980], 105 s.).*

Ad can. 838

Ad § 1: 1. Imponatur Episcopo obligatio scripto concedendi facultatem confirmationem administrandi ita ut constet de terminis intra quos concessa est (Card. Florit).

R. *Non admittitur: nimis hoc modo coarctaretur potestas Episcopi.*

2. Loco verborum « concedere potest » ponatur « ab Apostolica Sede postulet », quia non videtur favendum tendentiae eorum qui vel-

lent Episcopum in sua domo manere et contactum perdere cum populo suae pastoralis curae commisso. Ceterum, in dioecesibus cum magno territorio, confirmatio est pro multis christifidelibus unica occasio in qua suum Episcopum vident (Card. Bafile).

R. *Non admittitur; iam disciplina mutata est in Ordine Liturgico.*

Ad § 2: Difficultas habetur componendi istud praescriptum, quod loquitur de causa gravi, cum ordinatione n. 8 « Ordo Confirmationis » (Card. Florit).

R. *In Consultatione postulatum fuit ut aliquo modo limitetur illa facultas.*

Ad can. 839

Norma respicit etiam Episcopum et non tantum presbyterum. Et principium in canone contentum respicit etiam alios ritos et sacramenta (Card. Florit).

R. *Omnibus perpensis supprimitur canon, ne videatur C.I.C. disciplinam imponere Ecclesiis Orientalibus* (cfr. can. 31 schematis a CICO parati a. 1980).

Ad can. 840

Proponitur ut dicatur: « Episcopus dioecesanus, et presbyteri cum facultate confirmandi, obligatione tenentur curandi ... » et deleatur § 2 (Exc. Bernardin).

R. *Propositio admitti nequit, cum agatur de praescriptis diversis.*

Ad can. 843, § 2

Praescriptum circa « *promissiones baptismales* » (rectius « confessio baptismalis ») non valet pro adultis qui confirmationem immediate post baptismum recipiunt (Card. Willebrands).

R. *Remanet textus, cum mutatio necessaria non videatur et locutio desumpta sit ex Ordine Liturgico* (n. 12). *Ad adultum quod attinet certocertius necesse non est ut promissiones baptismales renovet; hoc tamen obvium est et non necessario in Codice exprimendum.*

Ad can. 844

Verba « tempore opportune » bis utuntur in canone. Prima vice supprimi potest vel eius loco dicatur « tempestive » (Card. Florit).

R. *Admittitur: dicatur « tempestive ».*

Ad can. 845

Sequens proponitur formula: « Sacramentum Confirmationis regulariter conferatur cum pueri aetatem discretionis adepti sunt dummodo sint rite praeparati. Attamen, ob rationes pastorales, Conferentiae episcopales possunt decernere ut sacramentum aetate maturiore conferatur. In mortis periculo Confirmatio infantibus conferatur ».

Ratio est ut servetur principium quod Confirmatio danda est infantibus qui aetatem discretionis attigerunt et parati inveniantur ideoque procrastinanda non est, nam: a) standum est « Ordo Confirmationis, Praenotanda III, 11 »; b) tota Ecclesiae latinae traditio affirmat *initiationem* christianam haberi per Baptismum dein per Confirmationem et per Eucharistiam compleri (Card. Duval).

Secus ac in « Ordo Confirmationis » non exigitur « generatim ad septimum circiter aetatis annum » (Card. Willebrands).

R. *Attentis animadversionibus allatis et disceptatione peracta, textus erit: « Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatem discretionis, nisi Episcoporum Conferentia aliam aetatem determinaverit, aut adsit periculum mortis vel, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat ».*

Ad can. 846

1. Praescribatur modo magis praeciso praesentia patrini, a qua tamen dispensari potest iusta et proportionata de causa. Prae oculis habitis iis quae in Ord. Liturg. habentur (Card. Florit).

R. *Non expedit: si mutatur textus norma fit praescriptiva et dispensari nequit a ministro.*

2. Claritatis causa dicatur « patrinus *vel* matrina », cum amplius non

requiratur ad liceitatem eiusdem sexus ac confirmandus; magis insuper textus congrueret cum can. 828 (de patrinis pro baptismo) (Card. Florit).

R. *Additio non videtur necessaria.*

Ad can. 847

1. *Ad § 1:* Proponitur: « Ut quis patrini munere fungatur, oportet ut conditiones adimpleat de quibus in can. 828, § 1, nn. 1-4, § 2 », ut parentes a munere patrini non excludantur, quod, ut experientia « Ordo Confirmationis, Praen. n. 5 » innixa docet, haud paucorum beneficiorum, imprimis pro ipsis parentibus, fons est (Cardd. Hume et Freeman; Excc. O'Connell, Bernardin).

R. *Propositio admitti nequit, cum non bene intelligatur munus patrini, quod quidem adiunctivum et quasi suppletivum est, parentes scil. in christiana educatione filiorum adiuvere. Parentes possunt certe filios praesentare, sed tunc dici debet quod patrini deficiunt: dedecet enim parentes patrilos nominari.*

2. *Ad § 2:* Non congruit cum can. 827, § 2, qui permittit substitutionem patrini, si deficiat (Exc. Henríquez).

R. *Provisum suppressione can. 827, § 2.*

Ad can. 850

Uti habetur in can. 832, § 1, adiungatur « ut Confirmationem adnotet ad normam can. 849 » (Card. Florit).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad Titulum III: De Ss.ma Eucharistia

Animadversio generalis. Suppressus est can. 69 prioris Schematis qui substantialiter retinebat can. 809 C.I.C. reproducentem doctrinam Concilii Tridentini (Sess. XXII, cap. II, can. 3). Petitur ut denuo introducatur ille textus ad rectam inducendam doctrinam de Purgatorio: « Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis » (Exc. Henríquez).

R. *Admittitur (cfr. can. 854 bis).*

Ad can. 851

1. Enuntiatio canonis non placet, praesertim verbum « memoriale ». Ob abusum vocabuli iam factum et propter errores sat diffusos hac in re oportet melius exponere genuinam Ecclesiae doctrinam, de *reali* praesentia Iesu Christi in Ss.ma Eucharistia atque mentionem facere etiam de *transubstantiatione* panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi (Card. Palazzini).

R. Locutio « *memoriale mortis et resurrectionis* » quae originem habet ex 1 Cor. 11, 24 desumpta est ex Const. Sacrosanctum Concilium, n. 47. Cfr. etiam AG, 14. Praesentia realis sufficienter affirmatur cum dicitur: « *in qua ipsemet Christus Dominus continetur* ». De *transubstantiatione* non videtur necessarium in Codice mentionem facere.

2. Substituatur verbum « continetur » cum « praesens est », cum agatur de expressione magis apta ad confusiones theologicas vitandas (Card. Siri).

R. Verbum « *contineri* » ex Concilio Tridentino (sess. XIII, D. 874) provenit.

Ad can. 852

1. Adiungatur: « *animarum pastores naturam huius sacramenti fideles edoceant* » (Card. Primatesta).

R. Post « *pastores* » additur: « *doctrinam de hoc Sacramento illustrantes* ».

2. Post « *illud colentes* » addatur « *ac frequenter visitantes* » (Card. Siri).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad can. 853

Claritatis et praecisionis theologicae causa corrigatur « *presbytero praeside* » cum « *solo presbytero litante* » et etiam formula adiungatur plurali « *vel presbyteris concelebrantibus litantibus* » et « *persona Christi gerentibus* » (Card. Siri).

R. *Vanus videtur timor inspecto § 1 in qua dicitur clare: « ministerio sacerdotis ».*

Ad can. 854

Ad § 1: Textus congruit Concilio Lateranensi IV et Tridentino. Prae oculis tamen habito n. 26 *Lumen Gentium*, de sacerdotii plenitudine in Episcopis, eorumque in Eucharistia praesidentia quae in Oriente maxime patet, bonum videtur ministerium Episcopi in hoc canone magis exprimere (Card. Parecattil).

R. *Iam in can. 354 sufficienter de re sermo fit.*

Congruenter animadversioni generali ad Tit. III (pag. 209) can. 854 bis inseritur cuius textus est: « Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis ». Textus aderat in schemate a. 1975.

Ad can. 855

Ad § 1: 1. Canon commendat concelebrationem, etiamsi in § 2 dicatur « integrum tamen est sacerdotibus, ut singuli Eucharistiam celebrent ... ». Haec disciplina a Concilio inculcata vertitur seu mutatur. Etenim constitutio *Sacrosanctum Concilium*, n. 57, loquitur tantum de opportunitate extendendi casus facultatis concelebrandi. Nunc vero quae erat exceptio fit regula pro omnibus (Card. Palazzini).

R. *Textus Instructioni Eucharisticum Mysterium (n. 47) correspondet et favorem in consultatione invenit.*

2. Supprimatur paragraphus quia videtur superflua et agit de materia theologico-liturgica et non iuridica (Card. Bafle).

R. *Non est verum quod non sit materia iuridica.*

3. In fine addatur: « ut melius eluceat unitas Ecclesiae et Sacerdotii » (Card. Primatesta).

R. *Negative: cum ratio non debeat indicari.*

4. Post « aut suadeat » addatur « ac sine detrimento totius ordinis liturgici », ne concelebratio omnes alias etiam peropportunas celebrationes substituat (Card. Siri).

R. *Non videtur quomodo concelebratio in detrimentum ordinis liturgici vertere possit.*

Ad § 2: *Compleatur « ... non vero eo tempore, quo ... concelebratio vel alia celebratio habetur » (Card. Florit; Exc. Bernardin).*

R. *Negative: textus nimis restrictivus evaderet.*

Ad can. 856

1. *Supprimantur verba post « exhibeat », melius est ut norma in sua integritate maneat. Ceterum principium valet quod nemo malus praesumitur nisi probetur, vel adiungatur « Salvis normis magis determinatis ab Ordinario loci vel a Conferentia Episcopali forte editis » (Card. Florit).*

R. *Maneat textus qui iam habebatur in can. 802, § 2 C.I.C.*

2. *Restituatur § 2 can. 804 prioris Schematis, ad abusos vitandos: « Integrum est loci Ordinario hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus servandas, etiam a sodalibus Instituti exempti, nisi agatur de iisdem admittendis ad celebrandum in ecclesiis aut oratoriis proprii Instituti » (Exc. Henríquez).*

R. *Non necessarium. Ordinarius normas edicere semper potest ad melius determinandum praescriptum canonis; minus adhuc necessarium est declarare vinculationem religiosorum quia illa obligatio patet: agitur enim de materia in qua nulla gaudet exemptione.*

Ad can. 857

Praefertur haec dictio: « sacerdotes frequenter, immo cotidie, celebrent, praesertim cum bonum spirituale fidelium id requirat; celebratio quidem eucharistica, etiam si praesentia ... », quia magis videtur incisiva et aspectus pastorales in luce ponuntur, dum in can. 249 § 2 utilitas celebrationis cotidianae sublineatur pro vita spirituali sacerdotis (Card. Florit).

R. *In canone Schematis clarius patet commendatio pro sacerdotibus ut ipsi Eucharistiam, etiam sine praesentia fidelium, cotidie celebrent.*

Ad can. 858

1. *Ad § 1*: Claritatis causa, proponitur ut verba « nisi id iure permittatur » supprimantur (Card. Florit).

R. *Admittitur observatio et insuper claritatis causa, loco « diebus » dicitur « casibus » cum non agatur tantum de diebus in quibus pluries celebrare permittitur. Denique loco « legum liturgicarum » dicitur « iuris » cum terminus sit magis omnicomprehensivus.*

2. *Ad § 2*: Proponitur: « Si sacerdotum penuria habetur, concedere potest loci Ordinarius ut sacerdotes, necessitate pastorali id postulante, pluries in die, praesertim in diebus dominicis et festis de praecipto, celebrent », ita ut Ordinarius loci melius necessitatibus pastoralibus occurrere possit (Exc. Bernardin).

R. *Non expedit. Ubi ampliores cupiuntur facultates a S. Sede obtineri possunt.*

Ad can. 859

1. Dicatur « unius saltem fidelis » loco « alicuius »: dictio esset magis praecisa (Card. Florit).

R. *Potest remanere textus, quia est idem.*

2. In textu aliquid ponatur de servitio liturgico mulierum, etsi modo minus gravi expressum quam in § 2 can. 813 C.I.C. Saltem dici potest illud servitium regi normis in liturgicis libris contentis. Nam permulti in favore illius servitii argumentantur ex eo quod in novo Codice norma illa § amplius non recipitur (Card. Knox).

R. *Non admittitur cum necesse non sit ad ius liturgicum remittere, quod semper suum valorem servat. In Schemate amplius sermo non fit de « ministro qui Missae inserviat », sed tantum de participatione alicuius saltem fidelis.*

Ad can. 861

Clarissimis verbis prohibeatur communicatio in sacris (Card. Palladini).

R. *Clarissime dicitur in canone et in can. 1317 poena statuitur.*

Ad can. 863

1. *Ad § 2:* Ut harmonice componatur cum can. 275, § 3, dicatur: « Extraordinarius s. communionis minister ... est acolythus necnon, deficientibus ministris ordinario et extraordinario, alius christifidelis ... ». Insistendum enim est ut tantummodo in casu deficientiae ministri deputati quis possit S. Communionem distribuere (Card. Florit).

R. Non admittitur: iam remittitur « ad normam iuris » et laicus deputatus est minister extraordinarius.

2. *Ad § 3:* Affirmetur iudicium de sufficienti dispositione confessoribus spectare, quapropter textus complendus videtur: « De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt » (Card. Primatesta).

R. Non expedit: esset usus scientiae ex confessione et ageretur de foro interno.

Ad can. 867

Textus nimis genericus, praesertim si comparatur cum textu can. 1135. Prae oculis habeatur can. 855 C.I.C. (Card. Florit).

Nimis temperatur can. 855 veteris Codicis circa denegationem Ss.mae Eucharistiae indignis et publicis peccatoribus. Nullo modo consideratur scandalum de quo loquebatur can. 855, § 2 (Card. Palazzini).

R. Textus sufficit cum omnia requisita habeantur: actus gravitas, nempe, et publicitas actus necnon contumacia. Certo certius textus respicit etiam divortiatos et renuptiatos.

Ad can. 868

1. Loco « urgentis necessitatis », dicitur « gravis rationis » et vice « copia confessariis », utitur « opportunitas confitendi » et hoc laxismo favere videtur. Retineatur formulatio can. 856 C.I.C. (Card. Oddi).

R. Non admittitur: omnia elementa continentur quae in can. 856 C.I.C. habebantur.

2. Textus nimis emollire videtur can. 807 veteris Codicis, qui refert doctrinam et disciplinam Concilii Tridentini (Sess. XIII, cap. VII) enuntiantis: « quibus *ex officio* incubuerit celebrare, haec Sancta Synodus perpetuo servandam esse decrevit, modo non desit illos *copia confessori*. Quod si *necessitate* urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, *quam primum* confiteatur ». Cum emollitione canonis timendus est laxismus in applicatione cum damno animarum (Card. Palladini).

R. *Non admittitur: cum periculum, quod timetur, excessivum videatur.*

3. Saltem ponantur verba « *quam primum* » ante « *confitendi* » (Card. Bafle).

R. *Admittitur.*

Ad can. 869

1. Non placet generalis permissio bis in die sanctissimam Eucharistiam recipiendi; concedatur tantummodo peculiaribus in adiunctis quae in legibus liturgicis determinantur (Card. Bafle, Florit), vel occasione participationis sollemnioribus celebrationibus (Card. Duval).

2. Loco textus propositi dicatur: « Qui Ss. mam Eucharistiam intra Eucharistici Sacrificii celebrationem receperit, poterit eam iterum semel eadem die suscipere, sub eadem conditione, salvo praescripto can. 873 » (Card. De Araujo Sales).

R. *Animadversiones non admittuntur. In celebratione enim eucharistica Sacrificium Christi repraesentatur in caena memoriali; ideoque plena participatio fit edendo cibum huius caenae, neque videtur sensui huius celebrationis correspondere cibum recusare ei qui, bene dispositus, caenam participat.*

Ad can. 870

Addatur « et etiam ex eodem sacrificio » (Exc. Coffy).

R. *Additio postulata est ordinis liturgici et sufficienter in canone innuitur.*

Ad can. 871

Ad § 1: Post « spatium » adiungatur « saltem » ut clarius appareat agi de minimo quaesito (Card. Florit).

R. Admittitur.

Ad § 2: Proponitur textus: « Sacerdos qui eodem die pluries sanctissimam Eucharistiam celebrat, aliquid sumere potest inter celebrationes, etiam si non intercedat spatium unius horae » (Exc. Bernardin).

R. Melius est ut lex de normaliter contingentibus tantum provideat. De cetero a fortiori et ex analogia aliis applicatur casibus.

Ad can. 872

Obligatio *sub gravi* praecipitur fidelibus *semel saltem in anno* ad sacramentum poenitentiae accedendi et sacram communionem recipiendi (Card. Palazzini).

R. Negative, cum lex non determinet gravitatem moralem.

Ad can. 874

Textus compleatur adiungendo post « reficiantur » et etiam extra periculum mortis frequenter, quantum fieri possit, Corpori Domini communicent », ut sublineetur momentum curae pastoralis infirmorum (Card. Florit).

R. Non videtur necessarium, immo non expedit ne enervetur praescriptio circa viaticum. Ad infirmis quod attinet cfr. cann. 467 et 468.

Desunt normae quae inveniebantur in cann. 87 § 2 et 88 prioris schematis (a. 1975) de concelebratione sacerdotum catholicorum diversi ritus deque communione in locis in quibus communitates diversi ritus exstant. Item dicatur de normis circa altaris vel ecclesiae usum quae pertinent ad diversos ritus catholicos vel etiam ad non catholicos (Card. Florit).

R. *Canones suppressi sunt, cum sufficienter de hisce rebus in liturgicis libris provisum sit et alia ex parte ab organis consultationis suppressio postulata est.*

Ad can. 878

Dictio « Ecclesia latina » semper et ubique vitanda est. Ideoque corrigatur expressio « Ecclesiae latinae » in « Ecclesia latini ritus » (Card. Palazzini).

R. *Non videtur qua de causa: expressio invenitur in documentis conciliaribus* (SC 91, 120; LG 29; PO 16; cfr. etiam can. 1 C.I.C.).

Ad can. 880

1. Post verbum « liturgici » inserantur verba « ad normam can. 792, §§ 2-3 », ut pateat a qua auctoritate libri liturgici adprobandi sint (Card. Bafile).

2. Cum canon normas contineat quae pro tota liturgia valent, collocandus esset post can. 793 (Card. Florit).

3. In fine can. addatur « *approbati fuerint a Sede Apostolica* », ad mentem can. 792, § 2 (Card. Palazzini).

4. Adiungatur in fine « *approbati a legitima auctoritate Ecclesiae* » vel, melius, « *a Sancta Sede* », ne utentur anaforae non approbatae (Exc. Henríquez).

R. *Ad 1, 3 et 4: Providetur cum additione adverbii « legitime » post « liturgici ».*

Ad 2: Canon respicit tantum celebrationem eucharisticam.

Ad can. 881

1. Melius est ut textus transferatur post can. 793, quia canon normas continet quae totam liturgiam spectant (Card. Florit).

R. *Melius est ut servetur saltem pro Missae celebratione etsi valeat pro celebratione omnium sacramentorum.*

2. Textus proponitur: « Sacerdotes et diaconi in Eucharistia celebranda et ministranda, necnon in aliis ritibus sacris (si canon post 793 transfertur) decentem habitum de quo in can. 258 necnon vestes liturgicas (melius mihi videtur quam « sacra ornamenta ») a rubricis praescripta deferant » (Card. Florit).

R. *Textus schematis videtur praeferendus.*

3. Addatur post « in Eucharistia celebranda et ministranda » verbum « veste et » (Card. Siri).

R. *Sufficit textus.*

Ad can. 884

Ad § 1: 1. Textus nimis permissivus videtur; saltem post « fieri debet » adiungatur « et de consensu Ordinarii » (Card. Florit).

R. *Additio videtur rem nimis complicatam reddere.*

2. Proponitur: « Loci Ordinarius concedere potest, iusta de causa, ut sacerdos etiam habitualiter Eucharistiam celebret extra locum sacrum in loco tamen decenti et decoro, non autem in cubiculo, nisi adsit vera necessitas ». Desumitur ex can. 96, § 2 praecedentis schematis « De Sacramentis », nam necessarium est normam dare pro celebratione Missae extra locum sacrum, etiamsi necessitas non adsit (Card. O'Fiaich).

R. *Possibilitas quodammodo reducitur introducendo verba « in casu particulari » post « nisi ».*

Ad § 2: Dum heic utitur « consecratum », in cann. 1186-1190 (de altaribus) semper adhibetur terminus « dedicatio ... dedicandum » (Card. Florit).

R. *Admittitur: dicatur « dedicatum » loco « consecratum ».*

Ad can. 885

1. Addatur « iusta de causa ... remoto scandalo et firmis can. 861 necnon aliis normis de re oecumenica » ut ratio habeatur normarum oecumenicarum, praesertim prohibitionis communicationis in sacris (Exc. Bernardin).

R. *Additio non est necessaria, nam in hoc nulla innuitur derogatio praescripti can. 861.*

2. Videtur opportunum alias 2 §§ adiungere circa permissionem quae Ordinario reservatur concedendi usum templi catholici pro celebratione eucharistica eorum qui plenam communionem cum Ecclesia catholica non habent, attentis etiam praescriptis quae in Directorio Oecumenico, nn. 52 et 61 habentur:

« § 2: Commendatur ut usus templi catholici, cum caeteris rebus necessariis, de licentia Ordinarii loci concedatur sacerdotibus Orientalium seiunctorum ... si ipsi id petant, cum careant locis in quibus sacra rite et digne celebrare possint.

§ 3: Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas religiosas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum templi concedere potest ».

Tamquam § 1 retineatur textus canonis prout iacet (Card. Primatesta).

R. *Negative: normae iam erant in praecedenti schemate et suppressae fuerunt pluribus rogantibus. Melius est ut Codex de re sileat et Apostolica Sedes normas det circumstantiis aptatas.*

Ad can. 886, § 2, n. 2

Loco verbi « et sacellis » ponatur « et, quoties pastorales rationes id suadeant, etiam in sacellis », quia excessivum videtur quod Episcopus asservationem Ss.mae Eucharistiae in quolibet privato sacello permittere possit. Formulatio Episcopo iuvamento erit, quotiescumque ipse existimet licentiam esse denegandam (Card. Bafle).

R. *Mutatio non necessaria nec utilis videtur: Ordinarius ipse rationes considerabit.*

Ad can. 889, § 2

Ad affirmandum magis magisque, Ss.mam Eucharistiam esse centrum « totius cultus », « et vitae christianae » esse « culmen et fons » (cfr. can. 851, in medio) dicatur, quod Tabernaculum, in quo Ss.ma Eu-

charistia asservatur, in aliqua ecclesia vel oratorio, ponatur in loco in quo statim ab omnibus videri possit (Card. Palazzini).

R. *Iam provisum est verbis « ... insigni, conspicua ... ».*

Ad can. 890

In flagranti contradictione cum SC 55 et pluribus Documentis post-conciliaribus (cfr. Kaczinski, *Enchiridion*, 929, 1393, 1451 h, 3074) commendatur hic consecratio « ad provisionem » (Card. Willebrands).

R. *Nulla datur contradictio, quia SC 55 aliaque documenta nullo modo excludunt, nec umquam excludere possunt, ius fidelium sese extra Missam communicandi. De cetero, textus canonis desumptus est ex « De Sacra Communione et de cultu mysteriorum Eucharistici extra Missam », a. 1973 a Paulo VI promulgato, n. 7.*

Attamen, ut aliquatenus ratio habeatur animadversionis, post verbum « necessitatibus » additur « congrua ».

Ad can. 892, § 4

Supprimatur. Agitur nempe de mera liturgica praescriptione (Card. Rosales).

R. *Melius est ut remaneat. Non est res tantum liturgica et de hoc fuse in Codice vigente.*

Ad can. 893, § 1

Loco « loci Ordinarii » dicatur « Episcopi dioecesani » (Exc. Bernardin).

R. *Admittitur.*

Ad Caput III: De oblata ad Missae celebrationem stipe

Animadversiones generales

1. Petitur ut normae in ulteriore syntesi reducantur quia adhuc casuisticam sapiunt, servata tamen claritate principiorum moralis et iuris (Card. Florit).

R. *Iam luculenter reducta est materia de hac re et normae necessariae videntur.*

2. In fine huius capitis (post can. 912), adiungatur *novus canon* cuius textus erit: « Pro reductione onerum Missarum, pro quorum adimplerentione difficultates ortae sint, applicatur can. 1260 », ne falsa opinio exstet pro reductione onerum Missarum non amplius necessarium esse Sedem Apostolicam vel, prout casus ferat, Episcopum adire (Card. Bafle).

R. *Admitti nequit petitio novum canonem introducendi, quia can. 1260 valet etiam si hic non citetur.*

3. Schema vigentem disciplinam relate ad stipendia Missarum retinet. Fortasse aliud systema invenire oportet pro cleri sustentatione, in quo nulla detur conexio, ratione iustitiae, inter Eucharisticam celebrationem et stipem. Si tamen Caput hoc retineatur, commendatur ut radicaliter reducatur, vel melius, iudicio Episcoporum Conferentiae relinquatur (Exc. Bernardin).

R. *Disciplina quae proponitur in perantiqua traditione Ecclesiae radicatur* (cfr. M.P. Pauli VI *Firma in traditione*, d. 13 iunii 1974 - AAS 66 [1974], 308 s.). *Non est unicum systema pro cleri sustentatione. Ubi viget, necesse est ut normis claris et perspicuis reguletur, ne ansam praebeatur abusibus, qui in hac materia facile irrepunt. Normae iam luculenter reductae sunt sed quae manent postulationibus consultationis respondent.*

4. Hoc systema in multis nationibus antiquatum est et negotii sapit. Oportet ut ordinatio oblationum pro celebratione S. Eucharistiae cum speciali intentione Conferentiis episcoporum relinquatur (Card. Willebrands).

R. *Systema non imponitur. Ubi tamen in usu est oportet ut normae clarae statuuntur, nam de re agitur in qua pericula non pauca commercii, avaritiae, iniustitiae latent.*

5. Etiam hic, non tantum in can. 473, sermo fiat de Missae applicatione pro populo. Anachronisticum tamen videtur praescriptum con-

servare iuxta quod una tantum missa diebus dominicis et festis de praecepto pro populo applicetur (Card. Willebrands).

R. *Non videtur necessarium praescriptum repetere.*

Ad can. 896

Magis clare dicatur — uti habebatur in can. 824 § 2 C.I.C. — si quis pluries in die celebrat, et unam Missam ex titulo iustitiae applicat — ex. gr. Missa pro populo — potest vel non stipendium alterius Missae suum facere (Exc. Henríquez).

R. *In canone non prohibetur, ergo permittitur.*

Ad can. 901

Dicatur in textu: « Episcopi dioecesani est, attentis Episcoporum Conferentiae normis, pro sua dioecesi, audito Consilio Presbyterorum... » (Exc. Bernardin).

R. *Cum adiuncta valde diversa esse possint in territorio unius Conferentiae Episcoporum, non expedit ut res a Conferentia decidatur. Congruenter tamen cum can. 1215, 2, loco « regionis » dicatur « provinciae ». Consultatio Consilii presbyteralis prudentiae Episcopi relinquatur, sed non videtur necessarium eam imponere.*

Ad can. 903

1. Dicatur « Nemine licet *talem Missarum numerum*, per se ... », nam verbum « onera » valde improprium est, ad tanti Divini actus celebrationem designandam (Card. Rosales).

R. *Admittitur: dicatur « tot Missas per se ... ».*

2. Addatur « Missae celebrandae sunt intra opportunum tempus, ratione habita intentionis eorum qui stipes obtulerunt sive expressas sive legitime praesumptas », quia secus canon intelligeretur ac si tempus celebrationis iam a lege determinatum sit (Card. O'Fiaich).

R. *Non admittitur: canon quod vult dicit.*

Ad can. 908

Addatur « datum esse intuitu personae, vel ad finem ab Episcopo dioecesano selecto » (Card. Carter).

R. *Non expedit. Nulla taxa imponi potest super elemosynis Missarum* (cfr. can. 1213).

Ad can. 911

Adiungatur: De reductione Missarum in omnibus et ab omnibus servantur praescripta Sedis Apostolicae (Card. Palazzini).

R. *Additio non est necessaria: iam habetur in can. 1260.*

Ad can. 912

Sat opportunum esset explicitam statuere normam, quae praecipiat ut omnes et singuli sacerdotes, etiam Institutorum vitae consecratae, habeant proprium librum in quo accurate adnotentur Missae celebratae vel celebrandae (Card. Palazzini).

R. *Sufficit § 2.*

Ad Titulum IV: De sacramento Paenitentiae

Observationes generales

1. Canones de Sacramento paenitentiae (cann. 913 ss.) pluribus indigent ut funditus revisentur, maioris claritatis gratia in re gravissimi momenti. Ita v. gr. quoad absolutionem communitariam, de qua agitur in can. 915; ita de sacramenti paenitentiae ministris necnon de ipso paenitente (Card. Palazzini).

R. *Animadversio nimis generica et non offert concretam alternativam.*

2. In toto capite de paenitentia: 1) deficit sermo de gravitate (« importanza ») et utilitate confessionis regularis et frequentis; 2) deside-

rantur normae circa orthodoxos vel protestantes qui forte hoc sacramentum celebrare cupiunt (Card. Knox).

R. *Quae postulantur iam habentur in cann. 354, 467 et 797 § 3.*

Ad can. 913

1. In descriptione huius sacramenti multum placeret si expressio « per iudicalem absolutionem » servaretur (Card. Florit).

R. *Non admittitur: exclusa est consulto adiectio verbi « iudicialis », ne actio iudicialis in paenitentiae sacramento ad solam absolutionem restringatur; tota enim actio sacramenti est actio iudicialis; et si adiectivum « iudicialis » insereretur, etiam in absolutionis formula inserendum esset.*

2. Uti habetur in n. 1 « Ordo Paenitentiae » referentia in canone ponatur ad misericordiam Patris per mediatorem Filium ita ut textus sit: « ... commiserint per mediatorem Iesum a Patre misericordiarum obtinet ... » (Card. Florit).

R. *Sufficit quod exprimitur in textu. Multa dicuntur.*

3. Recolatur in his canonibus verbum « reconciliatio », quod synonymus est Sacr. Paenit. (cfr. « Ordo Paenit. »). Dicatur saltem initio canonis: « In sacramento paenitentiae seu reconciliationis ... » (Card. Florit).

R. *Iam exprimitur in textu verbis « simulque reconciliantur ... ».*

4. Insuper: a) nihil in textu dicitur de « damni reparatio » (cfr. « Ordo Paenitentiae », n. 6 c);

b) melius est ut dicatur « de iisdem saltem attriti » loco « contriti » (cfr. etiam can. 941 sch. Cod.);

c) post « commiserint » adiungatur « et nondum a potestate Ecclesiae soluta sunt », integritatis doctrinae causa;

d) melius est ut exprimatur reconciliationem cum Deo per Ecclesiam dari;

e) oporteret recolere usu sacramenti, sicut tota liturgia, cultum Deo praestari (cfr. « Ordo Paenitentiae », 7 b);

f) textus prouti iacet praxim sanciret peccata non frequenter

confitenda esse: quod est absonum (cfr. « Ordo Paenitentia », n. 7) (Card. Knox).

R. *Prae oculis habeatur quod canon non intendit definitionem theologiam dare, sed potiora elementa recondere. Notetur insuper quod plura quae desiderantur in animadversione aliis in canonibus sufficienter exprimuntur.*

Ad a): *Non est necesse ut hoc dicatur in descriptione. Sufficit quod dicitur in can. 936.*

Ad b): *In definitione sufficit dicere « contriti ». Non est tractatus theologicus in quo omnia elementa enucleari debent.*

Ad c): *Non est necessarium. Subintelligitur et expresse dicitur in can. 942.*

Ad d): *Sufficit dicere « a Deo obtinent ». In capite nullum remanet dubium quod hoc fit per ministerium Ecclesiae (cfr. can. 914).*

Ad e): *Non est necesse ut in definitione dicatur. Iam sufficienter dicitur in can. 794: « Sacramenta ... signa exstant et media quibus ... cultus Deo redditur ... ».*

Ad f): *Animadversio penitus fundamento caret. Nullo modo ex hoc canone illa conclusio deduci potest.*

Ad can. 914

1. Non sufficit dicere « individua et integram confessionem atque absolutionem unicum constituere modum ordinarium, quo fidelis peccati gravis sibi conscius cum Deo et Ecclesia reconciliatur » nisi addatur *de iure divino*, iuxta definitionem tridentinam (DS 1707). Nec sufficit simplex confessio, nisi accedat dolor et conversio (Card. Palazzini).

R. *Qualificatio doctrinae non pertinet ad Codicem: relinquatur theologis.*

2. Initio dicatur, uti in « Ordo Paenitentiae », n. 6: « Si vera cordis contritio et conversionis desiderium adsint, individua et integra confessio atque absolutio unicum ... » (Card. Primatesta).

R. *Iam dictum est in canone praecedenti.*

3. Post hunc canonem ponatur textus de satisfactione, quae pars est sacramenti paenitentiae. Exprimatur idea satisfactionis quae modo

convenienti paenitenti assignatur vel proponitur, quaeque conversionem vitae exprimit et adiuvat, quia offensionem reparat et damnum et medicina est pro peccati infirmitate (Card. Primatesta).

R. *Iam continetur in canone 936.*

Ad cann. 915-917

Reducantur canones quia nimis fuse de hac materia tractatur. Sufficiunt normae datae a S. Congregatione pro Cultu Divino in introductione ad Ordinem Paenitentiae, d. 2-12-1973. *Supprimantur canones 916 et 917 quia superflui* (Exc. Bernardin).

R. *Quaestio est magni momenti et plures deplorantur abusus* (cfr. Allocutionem Pauli Pp. VI ad quosdam Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis [*Osservatore Romano*, 21 apr. 1978]).

Ad can. 915

1. Textus funditus revisetur, maioris claritatis gratia in re gravissimi momenti (Card. Palazzini).

R. *Non videtur ratio.*

2. De absolutione pluribus insimul paenitentibus generali modo impertitam haberi debet explicitior tractatio, si maneat. Melius esset in Appendice integraliter afferre « Normas pastorales circa absolutionem sacramentalem generalem » d. 16-6-1972. Nescio utrum haec reductio in canone facta revisa fuerit a S. Congregatione pro doctrina fidei: mihi vero non satisfacit. De cetero si est modus exceptionalis, cur pertractanda in Codice? Quis dicet hunc absolvendi modum introductum esse iam in Ecclesia et in Ecclesiae disciplina per editionem libri liturgici « Ordo paenitentiae ». Sed abusus exinde obvenientes in Ecclesia noti sunt omnibus qui oculos non claudunt coram magno animarum damno. Insuper hic, in Codicis schemate, contradictio habetur. Ex una parte asseritur confessionem individualem esse modum ordinarium reconciliationis. Ex altera, vero, parte absolutioni turmatim datae tantum pondus affertur, ita ut faciliter quis deducere possit duplicem dari modum reconciliationis (Card. Palazzini).

R. *Admitti nequit: textus fideliter repetit normas pastorales a S. Congr. pro Doctrina Fidei traditas (16-6-1972).*

Ad § 1: 1. Praefertur ut § 1 ita redigatur: « Absolutio pluribus insimul paenitentibus sine praevia individuali confessione, generali modo ne impertiatur, nisi ... » (Card. Florit).

2. Dicatur « Absolutio ... impertiri non potest: 1) nisi immineat periculum mortis ...; 2) nisi adsit pergravis necessitas ... ». Formulatio negativa, suppressio verbi « vel debet » et substitutio « gravis » cum « pergravis » sunt omnino necessariae ad abusos vitandos, qui revera iam fere undique habentur. Formula in textu proposita permulta damna infert vitae spirituali fidelium et vocationibus, quia fideles fere numquam peccata sua confitentur (Card. Duval).

R. *Admittantur: et textus § 1 erit: « Absolutio ... impertiri non potest, nisi: 1) immineat ...; 2) adsit gravis ... ».*

3. In n. 2 § 1 supprimatur « diu » quia inutiliter restrictivum et ansam praebet anxietatibus et confusionibus. Supprimatur quoque ultima pars: « Necessitas vero ... peregrinatione », mala enim lex est in seipsa, quia materiam exemplis ordinat (Card. Hume; Excc. Bernardin, O'Connell).

R. *Admitti nequit suppressio verbi « diu » et ultimae partis n. 2, eiusdem § 1. Agitur de essentiali restrictione.*

4. Ad abusos vitandos interpretationis nimis extensae melius specificetur quid sibi vult verbum « diu » (Card. Siri).

R. *Non pertinet ad Codicem.*

Ad § 2: 1. Iudicium de quo in textu reservetur Episcopis provinciae ecclesiasticae ut uniformitati consulatur pro aliquo territorio non minus extenso uti est integra natio (Card. Florit).

2. In fine textus, loco « potest » ponatur « debet » (Card. Duval).

R. *Non admittuntur: iudicium ferre de casu concreto ad Episcopum pertinet, legislatio vero ad Episcoporum Conferentiam.*

3. Canon severior est ac « Ordo Paenitentiae »: desideratur norma n. 32. Proponitur ergo: Iudicium ferre an dentur conditiones ad normam par. 1, n. 2 requisitae, pertinet:

1) ad Episcopum dioecesanum ...;

2) ad quemlibet confessarium, si, praeter casus ab eodem Episcopo statutos, alia gravis exurgat necessitas sacramentalem absolutionem una pluribus impertiendi; quo tamen in casu sacerdos, ut licite absolutionem impertiat, obligatione tenetur, quoties possibile sit, praevis recurrendi ad loci Ordinarium; secus de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiore faciat (Card. Carter).

R. Textus propositus non fideliter reproducit « Ordinem Paenitentiae ». Iudicium in casu non pertinet ad confessarium sed ad loci Ordinarium cui recurrendum est. In impossibilitate recursus applicantur principia theologiae moralis. Quidquid sit huiusmodi norma non pertinet ad Codicem.

Ad can. 916, § 1

1. Loco verborum « debito tempore » ponatur, inter duas virgulas, « ubi primum opportunitatem habeat » (Card. Bafle).

2. In textu asseritur « sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri ». Quando vero verificatur « tempus debitum »? Determinandum est in Codice (Card. Palazzini).

R. Quod in animadversionibus postulatur non est materia legis, sed interpretationis. Pro lege sufficit dicere « debito tempore », ulterior determinatio vel interpretatio pertinet ad interpretes vel potius ad moralistas.

Ad can. 918

1. Secus ac in « Ordo Paenitentiae » confessio in *aula* pro confessionibus habetur veluti exceptio (pro mulieribus, tantum infirmitatis aliisque necessitatis causa) Card. König).

2. Restrictio ad « ecclesias » et « oratoria » non videtur sustineri posse, eo magis quod crescentes in dies « aulae confessionum » non solummodo subiectivae necessitati respondent, verum etiam ad fructuosam receptionem sacramenti multum conferunt (Card. Willebrands).

3. *Ad § 1:* Addatur: « aut locus ab Episcoporum Conferentia designatum » (Excc. Coffy, Martensen).

4. *Ad § 2:* Proponitur: « Ad sedem confessionalem quod attinet, normae ab Episcoporum Conferentiae statuuntur, cauto tamen iure paenitentis ne quidem a confessore noscitur » (Exc. Bernardin).

5. *Ad § 3:* a) Addatur post verbum « necessitatis »: « salvis tamen normis ab Episcoporum Conferentia statutis », ut in praxi « aula confessionis » superflua non evadat (Card. O'Fiaich).

b) Supprimatur quia inutilem oppositionem suscitabit (Card. Carter; Exc. O'Connell) et hodie non amplius huiusmodi discrimen inter viros et mulieres admittitur (Exc. Bernardin).

R. *Observationes omnes admitti nequeunt: textus canonis servari debet prouti iacet ex interpretatione authentica a Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis edita (22-6-1976), ex qua mens personalis Papae Pauli VI in re patet.*

Ad Caput II: *De sacramenti paenitentiae ministro.*

Animadversio generalis.

Textus funditus revisetur, maioris claritatis gratia in re gravissimi momenti (Card. Palazzini).

R. *Animadversio nimis indeterminata est; neque dicitur quomodo revisendus est canon.*

Ad cann. 920-929

Normativa complexa est et non perspicua. Reducatur ad duos canones tantum. Unus in quo agatur de facultatibus, alter in quo de denegatione aut revocatione facultatis (Exc. Bernardin).

R. *Materia ipsa intricata est. Normae aliquatenus immutantur sed clarae videntur. Certocertius attente debent studeri.*

Ad can. 921

I. *Ad § 1:* Sufficit ut dicatur « omnes Episcopi », cum Cardinales omnes sint episcopi (Card. Florit).

R. *Ratione dignitatis mentio Cardinalium videtur servanda.*

2. Loco « loci Ordinarius » dicatur « Episcopus dioecesanus » ne sit simplex sacerdos qui impediatur Episcopo confessiones audire (Card. Florit).

R. *Admittitur: dicatur « Episcopus dioecesanus ».*

3. Textus finiatur verbis « itemque Episcopi », ceteris demptis (Card. Siri).

R. *Animadversio admitti nequit, eo quod Episcopus dioecesanus non potest suo nativo iure privari. Etiam experientia docet quod opportune servari debet canon.*

II. Ad § 2: 1. Nimis extensa videtur facultas audiendi confessiones ubique; restringatur territorio conferentiae Episcoporum nationis ad quam sacerdos pertinet. Insuper addatur facultatem non perdurare post 15 dies a momento quo sacerdos in aliquem pervenerit locum si Ordinarius eam non confirmaverit (Card. Florit).

Card. Siri petit quoque ut textus supprimatur.

2. Non placet, quia quis, praesertim religiosus, transeundo per commorationem trium mensium in variis locis, posset gaudere licentia confessiones audiendi ubique absque ullo recurso ad Ordinarium. Hoc modo inutiles evadunt cc. 924, 925 et 930 (Exc. Henríquez).

3. Exc. Stewart proponit textum magis adhuc generalem: « Facultate confessiones christifidelium ubique excipiendi vi iuris potiuntur quoque presbyteri qui alicubi eadem facultate gaudent, nisi alicuius loci Ordinarius in casu particulari renuerit ».

R. *Textus quoad substantiam manere debet, quia a maiore parte organorum consultationis approbatus fuit. Opportunum videtur tamen suppressere mentionem de quasi-domicilii, quia agitur de commoratione insufficienti ut quis facultatem receptam ubique exercere possit.*

Claritatis causa canon ita redigitur:

§ 2. « Qui facultate confessionis excipiendi gaudent sive vi officii sive vi commissionis Ordinarii loci incardinationis aut loci in quo domicilium habent, eandem facultatem ubique exercere possunt, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit, firmis praescriptis can. 928, §§ 2 et 3 ».

4. Affirmetur principium reservationis peccatorum (Card. Siri).

R. *Reservatio peccatorum suppressa fuit, rogante praesertim Sacra Poenitentiaria, cum minus utilis videatur et sufficiens provideri possit per censuras. Huiusmodi suppressio amplius invenit favorem in consultatione. Reservatio non debet proinde iterum introduci.*

III. *Ad § 3: Supprimatur paragraphus, quia non videtur necessaria (Exc. Stewart).*

R. *Minime. Secus non haberent hanc facultatem.*

Ad can. 922, § 2

1. *Adiungatur in fine « firmo tamen praescripto can. 556, § 4 », ut clarius appareat quod facultas audiendi confessiones, quae superioribus agnoscitur, libertatem relinquit subditis seligendi alios confessarios (Card. Florit).*

2. *Non placet cum detur confusio inter forum externum et internum. Supprimatur vel saltem dicatur « ... suorum subditorum ... nisi in casibus particularibus sponte id petant » (cfr. can. 939) (Exc. Henríquez).*

R. *Admittitur et in fine addatur: « firmo tamen praescripto can. 556 § 4 ».*

Praeterea loco: « de quibus in can. 921 § 3 », dicatur: « in domo diu noctuque degentes ».

Ad can. 923, § 1

Loco « Moderatoris » dicatur « Superioris » (Card. Florit).

R. *Admittitur.*

Ad can. 927

1. *Reddatur habitualis concessio scripta, pro audiendis confessionibus, et exceptionalis concessio oralis (Card. Florit).*

2. *Tollantur verba « quantum fieri potest ». Si scripto conceditur, maior possibilitas inspectionis (« controllo ») datur (Exc. Henríquez).*

R. *Admittitur et supprimuntur verba « quantum fieri possit ».*

Ad can. 928

Non videtur ratio cur suppressa sit norma can. 880 § 3 C.I.C. 1917 circa suspensionem a confessionibus audiendis una simul omnibus confessariis alicuius domus religiosae formatae. Adiungatur ideo § 5, cum agatur de re comprobatae convenientiae (Card. Pironio).

R. Non admittitur utpote non necessaria, alia remedia praesertim hodie dantur cum relationes inter Episcopos et Religiosos magis spiritu collaborationis innitantur. Et semper recursus patet.

Ad can. 928 bis

Ex officio: Necessarium visum est sequentem introducere canonem de facultatis cessatione, de qua in can. 921 § 2, cuius textus est:

« Praeterquam revocatione, facultas de qua in can. 921 § 2 cessat amissione officii vel excardinatione aut amissione domicilii ».

Ad can. 931

1. Adiungatur in fine « firmo praescripto can. 1330 ... can. 1339 ... can. 1340 » (Card. Florit).

R. Admitti nequit; canones indicati hic citari non debent; pertinent ad ius poenale; viceversa in illis citare oportet can. 931, uti reapse fit.

2. De unico peccati typo mentio in textu fit, ideoque proponitur ut dicatur « Absolutio complicitis in quocumque peccato gravi invalida est, praeterquam in mortis periculo » (Card. Knox).

R. Admitti nequit: non adsunt eadem rationes pro aliis peccatis et nimis libertas paenitentis limitaretur.

In Const. Benedicti XIV, ex qua canon C.I.C. desumptus est sermo tantummodo fit de peccato contra sextum.

3. In peccato gravi contra sextum: estne haec inhabilitas perpetua? Quid si complex iam ab alio confessore absolutus, postea confiteatur alia peccata sacerdoti complici? (Exc. Stewart).

R. Consulantur manuales.

Ad can. 932

1. In fine canonis adiungatur « firmo praescripto can. 1330 ... can. 1339 ... can. 1340 » (Card. Florit).

2. Si observatio facta ad can. 931 admittitur eodem modo mutari debet praesens canon (Card. Knox).

R. *Iam provisum in responsione ad can. 931.*

3. Agatur etiam de peccato contra nonum Decalogi praeceptum et non exclusive contra sextum, cum eiusdem speciei illa peccata sint (Exc. Henríquez).

R. *Negative: formulatio canonis est traditionalis nec opportunum videtur eam mutare. Ceteroquin peccata contra nonum praeceptum comprehenduntur, ut species in genere, in peccatis contra sextum.*

Ad can. 932

Oportet ut falsa denuntiatio de sollicitatione remaneat tamquam peccatum reservatum ratione sui (Card. Siri).

R. *Cfr. responsionem ad can. 921, § 3.*

Ad can. 933, § 1

Videtur opportunior et completior textus qui invenitur in « Ordo Paenitentiae », n. 10 a (Card. Knox).

R. *Textus qui proponitur non est iuridicus.*

Ad can. 937

1. Adiungantur in fine « firmo praescripto can. 1330 ... can. 1339 ... can. 1340 » (Card. Florit).

R. *Negative cfr. responsionem ad (I) can. 931.*

2. Specificetur de quam agatur obligatione: si nempe gravi, vel gravissima, etc. Fortior est textus can. 938 qui habet « omnino prohibetur ». In comparatione videtur gravior usus scientiae ex confessione habitae, quam directa violatio sigilli sacramentalis (Exc. Henríquez).

R. *Non expedit: potius ad moralem pertinet legis gravitatem determinare; ad legem spectat prohibere. Ex poena tamen comminata in can. 1240 facile eruitur summa gravitas huius obligationis.*

Ad can. 939

Norma valet etiam pro Superioribus Instituti religiosi, iuxta can. 556 § 4. Ideo vel in unum componantur vel referentia ponatur in utroque canone (Card. Florit).

R. *Neque referentia neque unio canonum videtur necessaria. Can. 556, § 4 optime invenitur in suo contextu ubi de habitudine religiosorum ad sacramentum poenitentiae. In canone 939 econtra sermo etiam fit de rectore seminarii aliusve Instituti educationis.*

Ad can. 942, § 2

1. Dicatur « *Valde commendatur ...* » vel: « ut peccata venialia saepe confiteantur ». Praeterea valde exoptatur ut *ratio* cur confitenda sunt detur, vel saltem dicatur cur confessio peccatorum venialium suadetur (Card. Satowaki).

R. *Sufficere videtur quod in textu exprimitur.*

2. Sequens additio proponitur: « Etiam si iuxta Ecclesiae praxim remissio venialium obtineri potest per receptionem SS. Eucharistiae, elemosynae, ieiunii ... enixe commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confiteantur », nam in Ecclesiae doctrina et praxi confessio non est unicus modus pro remissione peccatorum venialium (Card. Primatesta).

R. *Non expedit: hic sermo est de confessione et alia remedia minime excluduntur, sed non sunt in canone recolenda.*

Ad can. 945

Claritatis causa, post « *ritus* » adiungatur « *Ecclesiae Catholicae* » (Card. Knox).

R. *Non est necessarium: de Ecclesiis vel communitatibus ecclesialibus non catholicis norma habetur in can. 797.*

Ad caput IV: *De indulgentiis.*

1. Card. Bafle proponit ut hi canones ad duos tantum reducantur:
« Indulgentia, quam Ecclesia quoad poenam temporalem concedit pro peccatis, ad culpam quod attinet, iam deletis, a christifidelibus acquiri potest condicionibus in lege peculiari statutis ».

« Praeter supremam Ecclesiae auctoritatem ii tantum possunt indulgentias elargiri, quibus haec potestas iure agnoscitur aut a Romano Pontifice concessa fuerit ».

Rationes: a) quia ceteri canones huius Capituli non habent characterem proprie iuridicum; b) quia propter respectum erga Oecumenismum non videtur expedire quod in Codice particulatim de hac materia tractetur; c) quoad can. 951 non videtur expedire quod Codex ad « Enchiridion Indulgentiarum » remittat, dum quoad alia capita magni momenti (de Curia Romana in can. 297, de Synodo Episcoporum in can. 282 § 3, de Causis beatificationis et canonizationis in can. 1355 § 1) simpliciter ad « legem peculiarem » vel ad « ius peculiare » remittit. Quare in mea propositione scripsi « condicionibus in lege peculiari statutis ».

R. *Propositio sustineri nequit; reductio nimis drastica esset et materia indulgentiarum dispareret. Textus concordatus est cum S. Paenitentiarum. Nec vitari potest ut Enchiridion Indulgentiarum citetur.*

Ad cann. 946-951

Doctrina, quae systemati indulgentiarum ut fundamentum inservit, necessario novae reflexioni theologicae submittatur. Inde aliae et novae normae oriri possent (Card. Willebrands).

R. *Usquedum « nova reflexio theologica » ad conclusiones a Magisterio Ecclesiae sancitas deveniat, normae quaedam necessariae sunt.*

Ad can. 952

1. Eadem valent quae dicta sunt pro can. 913, de descriptione sacramenti. Si textus servatur, notandum referentiam explicitam ad se-nectutem desiderari, sicut recte fit in can. 957 § 1.

Sermo enim est tantum de aegrotantibus (Card. Knox).

R. *Non admittitur* (cfr. ea quae notata sunt ad can. 913). *Referentia habetur in can. 957 et ad integritatem quod attinet sufficiens est textus.*

2. Loco « *periculose* » dicatur « *graviter* », quia secus exigeretur sine necessitate gradus immoderatus infirmitatis et in praxi pastorali supervacaneae difficultates exurgerentur (Card. Hume, Exc. O'Connell).

R. *Negative: adverbium « periculose » ex Const. Apost. « Sacram unctionem infirmorum » provenit.*

3. Dicatur « ... confertur eos ... oleo quod e plantis sit expressum ... » (cfr. Const. Ap. *Sacram unctionem*, Pauli PP. VI); cum hodie dentur etiam olea mineralia et originis animalis (Exc. Henríquez).

R. *Iam provisum* (cfr. can. 800 § 1).

Ad cann. 952 et 957

Verba « *periculose aegrotantur* » (can. 952) et « *infirmitatem vel senium in periculo* » (can. 957) restringere videntur ea quae de subiecto unctionis infirmorum dicuntur in Ordine Unct. Infirm., n. 8-13 (« Ad gravitatem vero aegrotationis diudicandum quod attinet, satis est ut prudens seu probabile de ea iudicium habetatur, quibusvis remotis anxietatibus et collatis consiliis, si casus ferat, cum medico » (N. 8) Petitur ut reassumatur textus can. 181 et 183 praecedentis schematis: nempe.

Can. 952: « Unctio infirmorum qua Ecclesia christifideles aegrotantes Domino patienti et glorificato, ut eos allevet et salvet commendat, confertur eos liniendo oleo atque verba proferendo in probatis liturgicis libris praescripta ».

Can. 957: 1. « Unctio infirmorum ministrari potest fidei qui, adepto rationis usu, propter infirmitatem vel senium graviter aegrotat » (Exc. Bernardin).

R. *Nulla adest contradictio neque restrictio; in eodem n. 8 Ordinis liturgici legitur: « Unctio conferenda est fidelibus qui propter infirmitatem vel senium periculose aegrotant ». Et in Conc. Vaticano II (SC, 73): « tempus opportunum ... cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium ». Textus in animadversione citatus tantum modum indicat iudicium de gravitate morbi efformandi et suum retinet valorem.*

Ad can. 953

Recipiantur ea quae in « Ordo Unctionis infirmorum » n. 21 et in « Ordo benedictionis olei », n. 8 habentur, quia in textu non exponitur neque ubi neque quandonam Episcopus oleum benedicit (Card. Knox).

R. *Negative, cum sit quaestio liturgica.*

Ad can. 954

Proponitur ut § adiungatur de celebratione communitaria huius sacramenti, ut adspectus etiam communitarius sublineetur (Card. Florit).

R. *Negative: ad commendationem quod attinet, sufficiunt ea quae in Ordine liturgico habentur.*

Ad can. 956, § 1

Supprimatur « *valide* » et « *omnis et solus* », quia historice (saltem pro primis octo saeculis) non sustinetur. Adverbium hoc deest etiam in RR, De unctione infirmorum, 6; Tridentinus (De extrema unctione, c. 3 et 4) loquitur tantum de ministro « *proprio* ». Dicatur ergo: « *Minister proprius unctionis infirmorum est sacerdos* » (Card. Willebrands, Exc. Coffy).

R. *Melius est ut retineatur textus, ex can. 938 § 1 C.I.C. desumptus.*

Ad can. 957, § 1

1. Ante « *infirmis* » ponatur « *ob* » vel « *propter* » (Cardd. Florit et Knox).

R. *Admittitur: agitur enim de mendo typographico.*

2. Post « *periculo* » dicatur « *mortis* » (Card. Knox).

R. *Non est necessarium: sufficienter intelligitur de hoc agi.*

3. Loco « *adepto rationis usu* » dicatur « *tali rationis usu praeditus ut confortari possit* », quia locutio « *adepto rationis usu* » gravia gignit

problemata relate ad mente praepeditos (mentally handicapped) pro receptione huius sacramenti. Textus propositus desumitur ex « Ordo unctionis », Praen., n. 12 (Cardd. Hume, Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Additio non videtur neque necessaria neque conveniens. Codex tantum de ordinariis contingentibus legiferat. Ad mente praepeditos quod attinet sufficienter providetur commentariis auctorum et ipso Ordine Unctionis infirmorum. Clausula proposita praetera introduceret in lege elementum subiectivum (« ut confortari possit ») ex quo maiora problemata exsurgerent. Prae oculis in fine habeatur can. 958: « In dubio an infirmus rationis usum attigerit ... hoc sacramentum ministretur ».*

4. Dicatur « propter infirmitatem vel senium incipit periculose aegrotare », ut plene concordet cum SC 73, et cum « Ordo unctionis » (Cardd. O'Fiaich et Freeman).

R. *Non videtur necessarium: « incipit periculose aegrotare » et « in periculo incipit versari » idem significant.*

5. Quaeritur utrum opportunum sit aliquid de « sectione chirurgica » dicere (Card. Knox).

R. *Non est necessarium. Iam venit sub locutione « Ob infirmitatem ... in periculo incipit versari »; ulteriora determinantur in « Ordo unctionis ».*

Ad can. 958

1. Proponitur: « In dubio an infirmus graviter aegrotet aut an mortuus sit, hoc sacramentum administretur », mutationes propositae momentum habent pro praxi pastorali (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Est idem: « Periculose » idem sonat ac « graviter ».*

2. Expressio « ministretur » non convenit cum n. 15 « Ordo unctionis », qui habet « potest sacramentum praebere » relate ad eos quorum mors dubia est (Card. Willebrands et Exc. Coffy).

R. *Negative: melius est textum servare, ne in casu dubii illi infirmi sacramento priventur.*

Ad can. 961

1. Alia auspicatur formulatio textus, — qui de cetero dives est doctrina — ne puncta fundamentalia (uti, e. g. « caractere indelebili quo signantur ») per subordinatam exprimantur (Card. Florit).

R. *Textus compositus est maximo cum labore et videtur optime sustineri.*

2. In hoc textu unus solus aspectus muneris proprie sacerdotalis relevatur, aspectus nempe « cultualis », dum alter, « munus sanctificandi » non nominatur. Si vero de « liturgia » sermo esset loco « cultus », uterque aspectus haberetur (Card. Schröffer).

3. Tria munera praesentantur diversa terminologia et alio ordine ac in ceteris canonibus. Loco « *divinum cultum* » dicatur (in concordantia cum can. 789 § 1 et SC, 7) « liturgiam » (Card. Willebrands).

R. *Uniformitatis et claritatis causa, pro tribus muneribus sumitur terminologia in Codice magis usitata, nempe docendi, regendi et sanctificandi. Canon ergo ita immutatur:*

Can. 961. Sacramento ordinis ex divina institutione inter christifideles quidam, caractere indelebili quo signantur, constituuntur sacri ministri, qui nempe eodem consecrantur et deputantur ut, pro suo quisque gradu, in persona Christi Capitis munera docendi, sanctificandi et regendi adimplentes, Dei populum pascant ».

4. Sensu univoco adhibeantur verba « ordinare » et « consecrare », sive usus « consecrationis » tantum ad alias res a sacramento Ordinis distinctas (v. gr. Instituta vitae consecratae) referendo, sive explicite declarando in sacramento Ordinis consecrationem tantum Episcopo applicari (Exc. Bernardin).

R. *Verba sufficienter clarificantur e contextu et non videtur necessaria ulterior clarificatio. Sive « ordinare », sive « consecrare », sub diverso tamen respectu (ordinare significat ordinem conferre; consecrare, actionem qua candidatus per ordinem Deo consecratur) applicatur diaconis, presbyteris et episcopis, quamvis ex usu recepto (quem schema noluit auferre) potius dicatur de episcopis.*

Ad can. 970

Loco « potest » dicatur « licet », ne quis falso putet Episcopum incapacem esse ordines conferre sine licentia (Exc. Bernardin).

R. *In iure nullum adest dubium quod in casu non agitur de validitate* (cfr. can. 10).

Ad can. 972, § 1

Loco « *permanenter* adscriptis » dicatur « *perpetuo et definitive* » (Card. Pironio).

R. *Admittitur.*

Ad can. 980

Dicatur « *nonnisi ex causa omnino gravi, licet occulta ...* », ut Episcopo maior potestas discretionalis detur, nam post ordinationem diaconalem, causae exurgere possunt, quas ipse Episcopus ignorabat (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Negative: textus largior est — etiam consideratis cc. 978 et 983 — et Episcopus maximam obtinet discretionalitatem. Canon transferatur post can. 983.*

Ad can. 984, §§ 1 et 4

Extendatur ad 18 menses facultas Episcopi ab aetate requisita dispensandi, secus problemata exsurgent, eo quod nunc studia theologica ita disponuntur ut ordinatio presbyteralis 24 anno recipiatur, et praeterea diaconus ad sacerdotium destinatus 23 anno ordinatur (Card. O'Fiaich).

R. *Negative: ratio non sustinetur, lex praecise vult ne candidati periuvenes ordinentur.*

Ad can. 985, § 2

Excessiva videtur periodus pro diaconatus exercitio, nempe post expletum studiorum curriculum, i. e. post sexennium studiorum philosophico-theologicorum. Forsan sufficit ut, ultimo anno studiorum perdurante, congruum habeatur diaconatus exercitium (Card. Colombo).

R. *Negative: contradicit fini legis. Eventuali necessitati sufficienter providetur expressione « per tempus congruum ».*

Ad can. 986

Supprimatur « *licite* », eo quod confirmatio sacramentum initiationis est. Etiam ob rationes oecumenicas (Ecclesiae orientales) (Card. Willebrands).

R. *Negative: Semper esset ad liceitatem; tantum baptismus est ad validitatem.*

Ad can. 988, § 1

Secus ac in MP « Ministeria quaedam », XI, canon silet de possibilitate dispensationis (Card. Willebrands).

R. *Provisum per can. 87.*

Ad can. 989

Adiungatur § in qua exprimatur obligatio qua Ordinarius adstringitur a momento admissionis candidati ad diaconatum ex can. 255. Agitur enim de mutua obligatione et officio (Card. Florit).

R. *Provisum in can. 255 § 1; obligatio ex iure a diaconatu incipit.*

Ad can. 990

Melius est hunc ritum non imponere sodalibus Instituti vel Societatis, qui iam hanc obtestationem etiam coram Ecclesia susceperunt (Card. Pironio).

R. *Admittitur pro religiosis qui iam antea vota publica emisunt, quapropter in fine canonis additur: « aut vota perpetua in Instituto religioso emisunt ».*

Ad can. 994

1. Melius retinere aliquas irregularitates ex defectu, e. gr. illegitimitas, ita tamen ut Ordinarius dispensare possit si velit (Exc. Stewart).

2. Disparuit irregularitas ex defectu pro filiis adulterinis vel sacrilegis, cuius dispensatio in M. P. « De Episcoporum muneribus » reservata erat Summo Pontifici. Quae neque uti impedimentum apparet. Enixe petitur ut reintroducatur (Exc. Henríquez).

R. *In consultatione enixe rogatum fuit ut omnis discriminatio ratione natalium illegitimitatis plane auferatur.*

Ad § 2: Non placet: aut reformetur aut deleatur quia difficile cogitari potest apostasiam, haeresim, schisma post baptismum, adulterium cum attentatione matrimonii civilis, homicidium, abortumque voluntariam atque gravem et dolosam mutilationem *non esse peccata gravia* (Exc. Henríquez).

R. *Admittitur: i. e. supprimitur.*

Ad cann. 997 et 1000

Ne numeri nimis in textu citentur, forsitan melius est quod repetantur nomina delictorum, quae irregularitatem vel impedimentum gignunt (Card. Florit).

R. *Negative: referentia propinqua est.*

Ad can. 1008

Ad § 1: Iuxta Card. Palazzini definitio Schematis nimis a tota traditione theologica et canonica discedit. Nulla danda est in casu definitio sicut fecit Codex vigens et etiam Concilium Vat. II, quod quidem descriptionem pastoraalem tantum praebuit.

Em.mus remittit ad Concilium Florentinum (DS 702/1327): « Assignatur autem *triplex bonum* matrimonii: *Primum est proles... Secundum est fides... Tertium indivisibilitas matrimonii...* » ad Catechismum romanum Concilii Tridentini p. 11, n. 3; Animadvertit quod Concilium Vat. II loquitur de instituto matrimonii « variis bonis ac finibus praediti » et non solummodo affert bonum coniugum, magis extollens *momentum primordiale* procreationis et educationis.

In specie, iuxta Em.mum Virum:

1) Non sustinetur illud « *totius* » vitae communionem. Etenim tunc quomodo legitimatur matrimonium conscientiae (can. 1104 ss. C.I.C.)?

Quomodo conciliatur cum sententia rotali edita voluntate Summi Pontificis Pii XII (AAS 36 [1944], 179-200)? Quid de matrimoniis mixtis? Ergo, *supprimatur*.

2) Clausula « *ad bonum coniugum* » admitti nequit. Etenim:

a) finis rei creatae est semper extra essentiam rei. Nunc vero bonum coniugum non est res extra matrimonium, sed pertinet ad eius essentiam tanquam mutuum complementum (« inter se »: adspectus personalisticus) principaliter in plano sexuali physico et psychico. Praesentari ergo nequit uti finis matrimonii. Esset finis operantis sed non operis.

b) Est philosophice absurdum ad aliquod ens assignare plus quam unum finem essentialem et principalem. « Finis est unus tantum in uno ordine » (S. Th., *De veritate*, q. 22, a. 13, ad 9. Cfr. etiam 1-11, q. 1, a. 3, ad 3; a. 5); « Cum matrimonium sit coniunctio *ad aliquid unum*, talis coniunctio in speciem trahitur per illud ad quod ordinatur » (*Suppl.*, q. 44, a. 1; q. 45, a. 1, ad 3).

c) Fines accessorii et « operantis » possunt esse plures. « Causa finalis matrimonii potest accipi dupliciter, scil. *per se* et *per accidens*. Per se causa matrimonii est causa ad quam matrimonium est de se ordinatum... Sed per accidens causa finalis ipsius est hoc quod contrahentes intendunt ex matrimonio ... *Et quia causae per accidens sunt infinitae, ideo infinitae tales causae possunt esse in matrimonio* » (*Suppl.*, q. 48, a. 2; cfr. *ib.*, ad 1; q. 54, a. 3; q. 67, a. 1).

Proponitur ergo ut verba « *ad bonum coniugum* » *supprimantur*. Si quis tamen illa servare velit, ea coniungere poterit cum altera clausula « *communio vitae* », hoc modo: « Matrimoniale foedus quo vir et mulier inter se constituunt vitae communionem *bonumque sibi mutuo procurant*, indole sua naturali ad prolis... ».

Etiam Card. Siri petit ut hierarchia finium can. 1013 C.I.C. retineatur.

Sensus termini « *communio* » non est univocus, nec clare patet in quo consistat. (Exc. Henríquez).

Ad § 2: 1. Canon rationem non habet de fide ad sacramenti matrimonii celebrationem requisita, ut expresse exposulavit propositio 12^a recentis Synodi Episcoporum (Cardd. Marty, Hume, O'Fiaich, Freeman et Exc. O'Connell).

Card. Marty suggerit ut hac de re S. Congr. pro Doctrina Fidei consulatur.

Card. Hume hanc § 2 proponit: « Quare inter baptizatos minima praesupposita requisita intentione credendi cum Ecclesia, nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum ».

2. Card. Willebrands et Exc. O'Coffy proponunt ut post « sacramentum » addatur « etsi infructuosum si deficit dispositio requisita » ad vitandam consternationem baptizatorum non credentium.

3. Usus in eodem canone duarum diversarum locutionum ad designandum matrimonium (foedus et contractus) in errorem inducere potest. Si duo enim retinenda videntur, dicatur: « Foedus quod est contractus » vel « Contractus matrimonialis est foedus » vel aliquid simile (Card. Satowaki).

4. Adverbium « quare » logice non sequitur quia differentiae adnotantur inter primam paragraphum (ubi dicitur « foedus ») et alteram (ubi dicitur « contractus ») (Card. Palazzini).

5. Card. Willebrands (per alium peritum) et Exc. Pimenta iudicant definitionem valde bonam.

R. Ad § 1: *Definitio seu descriptio matrimonii omnino supprimi nequit; de hoc etenim iam habetur decisio affirmativa Congregationis Plenariae huius Commissionis d. 24 maii 1977, neque pariter supprimi potest, eadem ob rationem, mentio adspectus personalis matrimonii.*

Locutio « ad bonum coniugum » manere debet. Ordinatio enim matrimonii ad bonum coniugum est revera elementum essenziale foederis matrimonialis, minime vero finis subiectivus nupturientis. Alia ex parte, Schema nullam vult statuere hierarchiam finium. Ipsum Concilium Vaticanum II in Const. Gaudium et spes, praeter bonum proles, alia bona et fines proponit, quin tamen nullum vocet primum aut secundarium: « Ipse vere Deus est auctor matrimonii, variis bonis ac finibus praediti » (GS 48).

Verbum « totius » manere etiam debet; aequivalet verbo « omnis » in definitione iuris romani substantialiter a traditione recepta; « consortium omnis vitae » (Dig. 23, 2, 1).

Ut vitetur tamen ambiguitas, quae forte oriri potest ex verbo « com-

munio » in *Schemate* non semper uno sensu adhibito, praeferendum videtur verbum « consortium », quod melius exprimit matrimoniale convictum et maius suffragium invenit in traditione iuridica. Paragraphus proinde — dempto verbo « intima », quod non amplius convenit — ita modificatur: « Matrimoniale foedus, quo vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum, a Christi Domino ad sacramenti dignitatem inter baptizatos evectum est ».

Ad § 2: Haec paragraphus exprimit doctrinam traditionalem pluries a Magisterio Pontificio declaratam quaeque merito habetur ut « doctrina catholica seu theologicè certa ». Lex fundari debet in praesuppositis theologicis communiter admissis atque doctrinam catholicam, etsi hodie discussam, modificare nequit, nisi praecedat explicita declaratio Magisterii authentici Ecclesiae.

Notetur tamen quod canon tantummodo intendit affirmare inseparabilitatem inter contractum et sacramentum pro baptizatis, quin aliquid dicat aut praeiudicet de conditionibus ad sacramentum matrimonii iuxta doctrinam theologicam requisitis. Nonnullae animadversiones non sufficienter attendunt ad distinctionem theologicam maximi momenti inter sacramentum formatum et sacramentum informe, quae vero distinctio non videtur in Codice necessario exprimenda, ut aliquis proponit, quia agitur de re potius theologica quam iuridica.

Locutiones « contractus » et « foedus » uno eodemque sensu adhibitae sunt, consulto quidem, ut liquidius pateat foedus matrimoniale de quo in *Gaudium* et *Spes* nullo alio modo constituti posse pro baptizatis quam per contractum, etsi sui generis. Maneat ergo verbum « quare ».

Ad can. 1010

1. Definitio consensus melior et ditior est quam in can. 1081, § 1 C.I.C. (Card. Willebrands).

2. Proponitur « ... quo vir et mulier foedere irrevocabili et exclusivo sese invicem tradunt et accipiunt in ordine ad mutuum amorem complendum et prolem procreandam et educandam » (Exc. Stewart).

3. Locutio « ad constituendum matrimonium » aliquatenus vaga et ambigua est ad determinandum consensum matrimoniale. C.I.C. et

praecedens Schema (295) praeferenda videntur, utpote clariora (Exc. Henríquez).

R. *Ad vitandam repetitionem eorum quae dicta sunt in can. 1008, § 1, praesertim ob canonum propinquitatem, dicitur simpliciter « ad constituendum matrimonium »; nulla tamen exinde oritur ambiguitas nam quid sit matrimonium sufficienter declaratur in can. 1008, § 1.*

Ad can. 1012

1. Dicatur « matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars sit catholica... », ut concordet cum can. 11, § 2 (Cardd. Ratzinger, Hume, Freeman et Exc. O'Connell).

2. Suppressa obligatorietate iuris canonici pro acatholicis (cfr. can. 11, § 2) magna legis lacuna crearetur nisi legislator aliquo modo communitatibus non catholicis occidentalibus (pro orientalibus iam fecit Conc. Vat. II: UR 16) facultatem agnoscat se secundum propriam disciplinam regendi.

Oportet proinde ut a legislatore positive statuatur quatenam leges attendendae sint in decisionibus de validitate prioris matrimonii eorum qui, obtento divortio, novum matrimonium inire desiderant cum parte catholica, secus praesumendum est, solummodo ius naturale attendendum esse, omnino neglectis legibus humanis quibus ipsi de facto subiciuntur (Card. Parecatil).

R. Ad 1: *Admitti debet. Dicatur proinde « catholicorum ». Notetur tamen quod canon tantummodo dat praescriptionem positivam coherentem cum can. 11, § 2, nullo modo intendit negare competentiam Ecclesiae circa matrimonia baptizatorum non catholicorum.*

Ad 2: *Non videtur opportunum, praesertim ob rationes oecumenicas, quod Ecclesia statuatur quibus legibus regantur illa matrimonia. Generalis canonizatio legum civilium vel legum communitatum acatholicarum in hac materia valde esset periculosa. Melius praeterea est ut nihil in Codice dicatur.*

Ad can. 1013

1. Quoad favorem iuris difficultates movet Card. Palazzini quia saepe iudices ecclesiastici ad hunc canonem confugiunt, at non semper vali-

dis suffulti argumentis; ipse tamen nullam affert concretam propositionem.

R. *Favor iuris manere debet, quia unanimiter decisum in iam citata Congregatione Plenaria a. 1977.*

2. Addere: « salvo praescripto can. 1103 » (Exc. Stewart).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad can. 1014

1. Clausula « humano modo » ab Exc. Pimenta laudatur.

2. *Ad § 1:* Non intellegitur quid, sub adpectu iuridico, significet incisum « humano modo »: scienter?, idoneitas et aptitudo ad prolis generationem? non in ebrietate? Dicatur « per se naturaliter aptum » ut excludatur inseminatio artificialis (Card. Palazzini).

Ad § 4: Non videtur opportunum quod matrimonium civile ut matrimonium invalidum consideretur. In Normis generalibus et in doctrina canonistica distinguitur inter actum nullum et actum invalidum. Norma canonis non concordat cum doctrina traditionali canonica neque cum iure processuali, etiam in novo Schemate, ubi matrimonium civile tamquam non existens consideratur in ordine ad probationem. Nullus requiritur longus processus neque probari debet invaliditas huiusmodi matrimonii. Canon potest facile ad erroneas conclusiones ducere et confusionem gignere, neque norma est necessaria in ordine ad sanationem in radice, quae quidem dari potest etiam si matrimonium civile nullum aestimetur (Card. König).

R. *Ad § 1:* Locutio « humano modo » post profundum studium et amplam discussionem introducta, a longe maiore parte Conferentiarum Episcoporum aliorumque organorum consultationis probata est et videtur absolute necessaria ex ipsa natura matrimonii, quod postulat ut actus coniugalis humano modo ponatur. Etiam si talis locutio supprimeretur semper subintellegenda esset in canone.

Ad § 4: Supprimeretur, nam revera potest ad conclusiones erroneas ducere, neque eius omissio obstat sanationi in radice quae concedi potest etiam si matrimonium sit nullum.

3. Verbum « ratum » saepe sumitur pro matrimonio sacramentali non consummato, sed in sua origine denotat « sacramentalitatem » potius quam « non-consummationem ». Melius est ad pristinam significationem redire. Proponitur:

« Matrimonium inter baptizatos validum dicitur ratum; ratum et non consummatum si coniuges inter se humano modo... », vel « Matrimonium inter baptizatos validum dicitur ratum tantum si non est consummatum; ratum et consummatum si coniuges... » (Exc. Bernardin).

R. *Admittitur secunda formula.*

Ad can. 1016 ss.

Laudantur canones ut normae magni momenti, quae fundamentum inserviant curae pastorali unicuique regioni propria (Card. Willebrands).

Ad can. 1016

1. Aliquid dicatur de *obligationibus* seu de *officiis* propriis coniugum, v. gr. de educatione puerorum.

Aliquid addatur de assistentia particulari praebenda sponsis catholicis, qui matrimonium mixtum inierunt.

Aliquid etiam addatur de modo agendi erga catholicos qui fidem catholicam abiecerunt, vel qui eam non servant. Non sufficit norma can. 1024, § 1, n. 4 (Card. Satowaki).

2. *Can. 1016 bis proponitur* a Card. Hume et ab Exc. O'Connell.

§ 1: Pastores animarum diligenter curent ne ad matrimonii sacramentum admittant nupturientes qui motivis mere mundanis impuls, huiusmodi celebrationem ut conventionem socialem potius quam ut eventum religiosum habeant.

§ 2: Quodsi dubium oriatur de minima in nupturiente requisita fide, res deferatur Episcopo dioecetano ».

R. Ad 1: *Iam provisum in cann. 1082 et 1090. Quoad illos qui fidem abiecerunt, implicite in canone dicitur. Rem ulterius determinare ordinis est pastoralis et pertinet ad Episcopum dioecetanum.*

Ad 2: *Can. 1016 bis propositum non potest admitti; minime convenit ut de hac re norma detur universalis. Res determinari potest iure particulari prae oculis habitis locorum adiunctis.*

Ad can. 1018

Supprimatur « *si id possint sine gravi incommodo* » (cfr. Animadversiones ad can. 986) (Card. Willebrands).

R. *Clausula haec supprimi nequit, quippe quae recepta confirmatio non est conditio absoluta ad matrimonium contrahendum.*

Ad can. 1023

Attento can. 1070 non patet quis sit « parochus » de quo in hoc canone. Res relinquatur Episcoporum Conferentiae, ita ut ipsa determinet cui spectent praeparatio ad matrimonium et custodia documentorum (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Agitur de parocho qui omnia paravit ad matrimonium celebrandum iuxta can. 1070. Ulterior determinatio committi non debet Episcoporum Conferentiae, sed ad Episcopum pertinet dioecesanum.*

Ad can. 1024

1. Cum alii praeter parochum matrimonio legitime assistere possint (cfr. cann. 1062 et 1066), non patet cur hic solo de parocho sermo sit. Dicta in canone unumquemque obligant qui matrimonio assistit, et non solum parochum (Cardd. Schröffer et Willebrands).

2. Addatur: « 8) matrimonio cui conditio de praeterito vel de praesenti apponitur de quo in can. 1056 » (Card. O'Fiaich).

R. Ad 1: *Admittitur animadversio et canon ita modificatur: « § 1. Excepto casu necessitatis, sine licentia Ordinarii loci, ne quis assistat... ».*

Ad 2: *Non videtur admittendum. Sufficit can. 1056.*

Ad can. 1025

Opportune remitteretur ad can. 1036, § 2 (Card. König).

R. *Hoc fieri nequit: sunt etenim materiae differentes. In can. 1025 agitur de cura pastorali, in can. autem 1036 de impedimento.*

Ad can. 1028

Iterum inseratur § 3 can. 262 praecedentis Schematis in qua Conferentiis Episcoporum ius agnoscebatur impedimenta particularia statuendi (Exc. Bernardin).

R. *Norma suppressa est quamplurimis rogantibus, sive ex Episcopis sive ex Conferentiis ipsis Episcoporum, a Plenaria Patrum Cardinalium nostrae Commissionis a. 1977, quae unanimiter hoc decrevit.*

Ad can. 1031, § 1

1. Valde desideratur ut haec facultas sit delegabilis (Card. Sato-waki).

2. Distinguatur inter dispensationem ab impedimento ex ordine presbyteratus, quae *uni Romano Pontifici reservetur* et dispensationem ab impedimento ex ordine diaconatus, quae *Sedi Apostolicae reservetur* (Card. Bafle).

R. Ad 1: *Potestas est delegabilis, utpote ordinaria* (cfr. can. 134).

Ad 2: *Distinctio proposita non videtur admittenda, quia artificiosa. Est enim semper Romanus Pontifex qui dispensat, qui potest suo libitu hoc facere sive per se sive per Curiam Romanam.*

In § 2, 1, loco « *in Instituto vitae consecratae* » *rectius dicitur « in Instituto religioso »*, nam *impedimentum afficit tantum eos qui vota publica profitentur, scil. religiosos, non vero sodales Instituti saecularis.*

Ad can. 1032

« § 1. Urgente mortis periculo, loci Ordinarius *ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis*, potest, proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes dispensare tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, *excepto impedimento orto ex sacro ordine presbyteratus, a quo tamen in articulo mortis dispensare valet* ».

— Distinguere oportet inter diaconos et sacerdotes. Non videtur

pro sacerdotibus sat ampla facultas concedi posse, quia locutio « urgente mortis periculo » nimis ampla et « elastica » est, et ita via aperitur ad denuo relaxandas novas normas severiores S.C.D.F. Facultas limitetur ad casus « in articulo mortis ».

— Motivum additur (ad consulendum ...) ex can. 1043 C.I.C. desumptum, quod valde opportune in canone inseritur (Card. Bafile).

R. *Coarctatio proposita non videtur admittenda, quia in canone iam dicitur « urgente » periculo mortis quocum sufficienter restringitur usus extraordinariae facultatis dispensandi; exigentia praeterea « articuli mortis » ad concedendam dispensationem esset fons multiplicum anxietatum et fortasse etiam invaliditatum: difficulter enim scitur utrum in casu concreto agatur de urgente periculo aut de articulo mortis, quippe qui vix inter se differunt, nisi quis ad qualificandum articulum mortis exigere velit ut mors revera sequatur, quod absurdum est.*

Ad can. 1036

Stante evolutione in legislationibus civilibus necnon attenta necessitate maturitatis psychicae sponsorum proponitur ut aetas matrimonialis uniformetur Codici Orientali (18 a. pro viro et 16 a. pro muliere) (Card. Parecattil).

R. *Maneat canon uti iacet. Placuit fere omnibus organis consultationis. Agitur de aetate minima requisita, qua adepta, supponitur haberi maturitas saltem biologica necessaria et ius naturale ad matrimonium non potest, sub hoc respectu, plus aequo coarctari. Non expedit ut Codex aetatem superiorem statuatur, praesertim attentis diversis culturis et adiunctis in orbis regionibus. Adsunt alii canones quibus providetur ne matrimonium sine sufficienti maturitate contrahatur (cfr. cann. 1025; 1024, § 1, n. 6; 1036, § 2; 1048, n. 2; 1050, etc.).*

Ad cann. 1036-1047

Placet suppressio impedimentorum impediendum, quorum dispensatio ad merum reducebatur formalismum, cum dispendio temporis (Card. Rugambwa).

Ad can. 1037

1. Supprimatur verbum « *coëundi* » et redeatur ad formulam C.I.C. ne deflectatur a doctrina antecedenti et a Const. sextina *Cum frequenter*, quam S. Alphonsus « decisivam » retinebat, et rationem habeatur de Const. *Gaudium et Spes*, quae bis (nn. 48 et 50) proclamat institutum matrimonii indole sua naturali (ideo iure naturali) ad procreationem et educationem prolis ordinari. Qui testicula non habet communiter vir non retinetur (Card. Palazzini).

R. Verbum « *coëundi* » *deleri non potest nam determinat naturam impotentiae de qua agitur, ne extendatur v. gr. ad impotentiam « moralem » seu « psychicam » quam vocant. Ad quaestionem suscitata quod attinet, cfr. Decretum S. C. pro Doctrina Fidei, d. 13 maii 1977 (AAS 69 [1977], 426), a quo non est recedendum.*

2. Sicut fecit Codex Orientalis, nulla detur ratio cur impotentia matrimonium nullum reddat. Sequens proponitur textus:

« Impotentia coëundi antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive absoluta sive relativa, matrimonium dirimit » (Card. Carter).

R. Clausula « *ex ipsa eius natura* » (vel « *ipso naturae iure* » ut habetur in can. 1068 Codicis vigentis) *supprimi nequit, quia determinat agi de impedimento iuris naturalis quod a nemine dispensari potest.*

Ad can. 1038, § 1

Addere: « salvo privilegio fidei » (Exc. Stewart).

R. *Non videtur necessarium.*

Ad can. 1039, § 1

1. Melius omittere clausulam « *nec actu formali ab ea defecerit* ». Non est ratio cur quis per apostasiam lucrum faciat. Et haec clausula incitare potest ad apostasiam formalem (Exc. Stewart).

R. Clausula *iustificatur nam deest ratio cur apostatae illo ligentur impedimento, quod ad fidem tuendam ordinatur. Matrimonia invalida non sunt multiplicanda. Ceteroquin nullum exinde timeri potest periculum*

incitationis ad apostasiam, quia agitur de impedimento facilis dispensationis.

2. In hoc canone « baptismus » tantum datur tanquam criterium « validitatis » matrimonii. In ultima Synodo tamen aliquid magni momenti dictum est, v. gr. de fide requisita necnon de desiderio faciendi quod Christus et Ecclesia intendunt. Quapropter desideratur ut aliquid dicatur de his aliis criteriis (Card. Satowaki).

R. *Canon maneat uti iacet: agitur enim de impedimento disparitatis cultus, cuius ambitus validitate baptismi non vero fide determinatur. Ad fidem quod attinet, cfr. responsionem ad can. 1008, § 2.*

Ad can. 1040, § 2

Norma derogat principium canonicum plus quam millenarium, in Ecclesia sive Latina sive Orientali semper servatum et quod iuxta quosdam *originem habet apostolicam*. Gravia consecratoria pro Sacramento Ordinis exinde proflui possunt, eo quod in discrimen ponatur illa « donatio absoluta », quam Sacramentum Ordinis ut gratia confert et ut responsum postulat (Card. Knox et Exc. Henríquez).

R. *Unanimiter censet coetus quod non expediat secundas nuptias diaconis uxoris prohibere. Nam norma a pluribus Episcoporum Conferentiis aliisque organis consultationis petita est, adsunt ponderosae et obiectivae rationes convenientiae (propter filios alendos et educandos, quia iniustum est coelibatum imponere ei qui id non elegit, etc.). Sine fundamento sermo fit de origine apostolica huius normae, neque gravia consecratoria timenda sunt pro coelibatu sacerdotum. Si quae timenda essent, venirent potius ex ipsa ordinatione diaconorum uxorum. Neque valet ratio ex disciplina orientali, nam Schema Codicis Orientalis eandem normam assumit: can. 141.*

Ad can. 1041

Melius dicatur « ... in Instituto religioso adstricti sunt » ut clare pateat Instituta saecularia non comprehendi sub canone (Card. Pironio).

R. *Admittitur.*

Ad can. 1043

Quaeritur cur suppressum sit impedimentum criminis ex adulterio cum promissione matrimonii? (Exc. Pimenta).

R. Ne matrimonia invalida sine necessitate multiplicarentur.

Ad cann. 1045 et 1046

Impedimenta affinitatis et publicae honestatis ad secundum saltem gradum lineae collateralis extendantur (Exc. Stewart).

R. Huiusmodi impedimenta suppressa sunt ex praecedenti Schemate pluribus rogantibus. Criterium revisionis est quod impedimenta ad quae sunt stricte necessaria reducantur; in C.I.C. insuper impedimenta erant gradus minoris (can. 1042 C.I.C.).

Ad can. 1047

Non placet norma quia plures conflictus oriri possunt cum legibus civilibus in quibus diversimode regulatur quaestio de cognatione legali. Ergo, vel redeatur ad C.I.C. vel simpliciter supprimatur, quia sufficienter provisum in can. 1024, n. 2 (Card. Parecattil).

R. Non evpedit canonizatio legis civilis; alia ex parte adsunt perplures rationes convenientiae ut tale impedimentum directe statuatur: quod fit in canone. Neque timendi sunt conflictus cum lege civili; plures, enim, habentur normae canonicae (v. gr. indissolubilitas) quae conflictus cum lege civili gignere possunt, sed haec non est ratio ut supprimantur.

Ad can. 1048

Sunt igitur incapaces matrimonii contrahendi:

« ... 2) qui laborant gravi et abnormali defectu discretionis iudicii, ita ut ne elementa quidem necessaria matrimonii, sicut in canone praecedenti, intelligere valeant » (Exc. Stewart).

R. Formula Schematis praeferenda videtur. Quod interest non est cognitio vel perceptio ordinis intellectualis sed defectus discretionis iudicii circa iura et officia mutuo tradenda et accipienda. Cetero formula Schematis firmata est a iurisprudencia rotali.

Ad can. 1049

1. Valde difficile est etiam pro peritis in re psychiatrica determinare quandonam anomalia tam gravis sit ut consensum impediat. Norma proinde periculosa est et ansam praebere potest abusibus et indebitae extensioni. Relinquatur ergo tota haec materia iurisprudentiae, praesertim S. R. Rotae ceterisque Tribunalibus ecclesiasticis, ut *in singulis casibus* diiudicetur utrum matrimonium retinendum sit validum vel non, eo magis quia doctrina psychiatrica est in continua evolutione (Cardd. Palladini et Knox).

2. Melius distinguatur a praecedenti canone (Card. Florit).

R. *Ad 1. Maneat canon, qui simpliciter codificat normam iuris naturalis. Si canon deleteretur, periculum quod timetur, minime exstingueretur, immo augeretur: canon enim quosdam statuit limites (gravis anomalia, obligationes essentielles). Tribunalia ecclesiastica debent utique in singulis casibus iudicare, sed egent norma legali ad vitandum arbitrium et ut detur quaedam uniformitas essentialis in iurisprudentia.*

Ad 2. Canon fit n. 3 canonis anterioris.

Ad can. 1050

1. « ... consortium permanens et exclusivum inter virum et mulierem, ordinatum ad mutuum amorem complendum et prolem, cooperatione aliqua corporali, -procreandam et educandam » (Exc. Stewart).

R. *Additio non videtur facienda nam agitur de « scientia minima ».*

2. Petitur ut ordo canonum invertatur, et can. 1050 canonis 1048 praeponatur (Exc. Stewart).

R. *Ordo Schematis sustinetur.*

3. Loco « aliqua » melius dicatur « quadam » (Card. Philippe).

Locutio « saltem non ignorent » valde imprecisa est. Clarius explicetur scientia minima requisita (Card. König).

R. *Maneat canon uti iacet. Locutio « saltem non ignorent » non est ambigua, quia denotat scientiam minimam requisitam et praeterea eius obiectum expresse verbis sequentibus circumscribitur.*

Loco « corporali » dicatur « sexuali ».

Ad can. 1051, § 2

Ex officio: *Norma haec ulteriori studio submissa est et a Coetu Consultorum proponitur ut ita mutetur: « Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium non dirimit, nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur ». Correspondet doctrinae S. Alphonsi (Theologia Moralis, Lib. VI, Tractatus VI, cap. III, dubium II, n. 1016) et iurisprudentiae hodiernae S. R. Rotae.*

Ad can. 1052

1. Valde opportunus iste canon (Exc. Pimenta).

2. Quaeritur utrum oporteat ut norma can. 1052 ad casum simplicis erroris etiam applicetur. Effectus ad perturbationem futuri consortii vitae quod attinet sunt iidem ac in errore doloso (Card. König).

3. Requiratur dolus gravis vel saltem textus canonis aliquo modo restringatur quia secus canon, prout est generice expressus patebit innumeris declarationibus nullitatis (Card. Florit).

4. Distinctius determinetur locutio « circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum », quia ansam praebere potest laxis et nimis amplis interpretationibus. Etiam « consortium vitae coniugalis » clarum non est. Si quis v. gr. falso putet aliam partem esse divitem, postea arguere potest quod hoc graviter perturbat « consortium vitae coniugalis et declarationem nullitatis matrimonii petere (Exc. Henríquez). In eodem fere sensu Exc. Stewart.

R. *Ad 2. Non oportet, nam dolus multo gravius perturbat consortium coniugale quam simplex error.*

Ad 3. Dolus in canone est gravis ex obiecto ipso.

Ad 4. Non est necessarium. Formula canonis videtur sufficiens ad laxas interpretationes praecavendas. Exigitur enim qualitas (vel defectus) obiective gravis, scil. magni momenti, quae ex natura sua consortium vitae

graviter perturbari possit. Requiritur praeterea quod matrimonium quis contrahat « dolo deceptus ad obtinendum consensum patrato ».

Ceterum, doctrina et iurisprudentia pressius determinabunt extensionem et ambitum canonis et, si opus fuerit, elenchum qualitaturn de quibus in canone conficiunt.

Ad can. 1053

« ... dummodo non praevaleat voluntati verum matrimonium contrahendi » (Exc. Stewart).

R. Retineatur formula canonis quae accurato examine et studio submissa est et a consultatione probata.

Ad can. 1053

Ex commendatione S. C. pro Doctrina Fidei d. 14-1-81, inseritur clausula « aut sacramentalem dignitatem ». Canon proinde ita modificatur: « Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, dummodo non determinet voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem ».

Ad can. 1055, § 2

1: Supprimatur incisum « aut ius ad ea quae vitae communionem essentialiter constituunt », quia valde periculosum pro stabilitate vinculi matrimonialis. Attendere oportet ad matrimonium conscientiae et prae oculis habere sententiam rotalem iussu Pii XII editam (AAS 36 [1944], 189-200). Communio thori et mensae pertinent ad integritatem non vero ad essentiam matrimonii (Card. Palazzini).

2. Etiam Exc. Henríquez petit ut supprimatur quia non clare patet in quo consistat.

3. Exc. Falcão petit ut addatur: « aut matrimonium in quantum Sacramentum Ecclesiae ».

R. Canon ita modificatur: « At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut matrimonii essentiale aliquod elementum vel essentialem proprietatem vel sacramentalem dignitatem, invalide contrahit ». Ita auferuntur difficultates circa clausulam

« aut ius ad ea quae vitae communionem essentialiter constituunt » et, etsi generico modo, relatio exprimitur necessaria ad ea quae essentialia matrimonio sunt, quae quidem a doctrina et iurisprudencia determinanda sunt, habita ratione definitionis can. 1008, § 1 necnon totius legislationis et doctrinae, sive iuridicae sive theologicae.

Ad can. 1056, § 1

Non placet haec norma omnino nova, quia matrimonia nulla augeantur. Omnia enim matrimonia sub quacumque condicione de futuro contracta invalida essent, et invalida declarari possent, dummodo probetur condicionem revera appositam esse bona aut mala fide, sive verificetur id quod condicioni subest sive non. Dicatur: « Matrimonium sub condicione iniri nequit, condicio si nihilominus apposita sit, pro non adiecta habeatur » (Card. Parecattil).

R. *Retineatur canon uti est, ne matrimonia suspensa maneant. Formula proposita non solvit difficultates, nam revera consensus pendet a condicione realiter posita, etsi haec in iure pro non adiecta habetur. In formula proposita negatur tantummodo actio ad matrimonium impugnandum, quod inopportunum est et nullo modo solvit reales difficultates neque minuit numerum matrimoniorum invalidorum. Simplicior et securior est norma Schematis.*

Ad can. 1057

1. Fortasse oportet locutionem « iniuste » (can. 1087 C.I.C.) retinere (Card. Razafimahatratra).

R. *Admitti non potest. In ordine ad matrimonium contrahendum, metu semper est iniustus. Ceterum, invaliditas statuitur non in poena iniustitiae sed propter defectum libertatis.*

2. Quid significat « inconsulte » in hoc textu? (Exc. Stewart).

R. *Non ad extorquendum consensum.*

Ad can. 1062

1. Post « diacono » addatur « vel in casu can. 1066, § 1, laico » (Card. König).

R. *In fine additur: « ... et salvis exceptionibus de quibus in cann. 1066, § 1, 1068... etc. ».*

2. Non requiratur facultas ad validitatem sed tantum ad liceitatem, ne inutilia problemata exsurgant (Exc. Pimenta).

R. *Admitti non potest. Graviora problemata exsurgerent. Normativa quae proponitur sat ampla est.*

Ad can. 1063

1. Addatur in fine « vel ritus qui proprium Exarcam in illo territorio non habet » (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

2. Supprimatur restrictio « dummodo eorum alteruter sit ritus latini » quia, validitatem matrimonii cum tangat, plura creat problemata, praesertim hodiernis temporibus, ratione maximae mobilitatis et migrationis. Saepissime fideles alius ritus in parvis pagis non inveniunt pastorem proprii ritus (Card. Carter et Exc. Pimenta).

R. *Est ius vicens. Cfr. resp. Pont. Comm. pro Codice Orientali die 3 martii 1953 (AAS 45 [1953], 313). Non pertinet ad C.I.C. normas pro his casibus ferre. In casibus citatis sufficienter providetur, sive per can. 1071 sive per can. 1068, vel melius, per aequivalentes canones C.I.C.O.*

Ad can. 1065

1. Exigatur in canone quod sacerdos vel diaconus, generali facultate delegata gaudens, singulis in casibus teneatur parochum loci certiore facere (Card. Florit).

2. Delegatio *semper* scripto concedatur (Card. Palazzini).

3. Addatur alia §: « Facultate delegata generali assistendi matrimoniis gaudet, durante munere, nisi expresse excludatur, Vicarius paroecialis constitutus ut opem ferat in universo ministerio pastoralis explendo in tota paroecia » (Card. de Araujo Sales).

R. *Ad 1. Iam provisum in can. 1069.*

Ad 2. *Non est necessarium si agitur de delegatione ad actum, quae etiam per telephonium utiliter dari potest.*

Ad 3. *Non expedit. Parochus debet esse directus et ultimus responsabilis. Norma proposita fons esset inutilium conflictuum. Sufficit ut parochus, cum opportunum sit, generalem det delegationem.*

Ad can. 1066

Non placet quia figuram sacerdotii ministerialis enervat, eo quod ad laicos transferat munera, quae sunt propria sacerdotis. Nocet insuper eandem ob rationem vocationibus (Exc. Henríquez).

R. *Non est timendum periculum de quo in animadversione; explicitae enim requiritur ad concessionem quod ministri sacri desint (« ubi desunt sacerdotes et diaconi »). Disciplina haec iam viget ex concessione Sanctae Sedis variis in regionibus. Laicus denique in casu est mere testis qualificatus, nulla gaudens potestate regiminis.*

Ad can. 1068

Supprimatur cānon, ne periclitetur systema quod delegationem requirit, quae quidem delegatio eo tendit ut in tuto ponantur sive debita nuptientium praeparatio, sive omnia praerequisita ad validitatem nuptiarum.

Si supprimi nequeat, saltem restringatur ad casus « bonae fidei », ex parte Assistantis (Exc. Bernardin).

R. *Supprimi non potest. Praescriptum canonis exigentia est boni animarum, quod in Ecclesia suprema lex est. Etsi in C.I.C. similis norma deerat, iam multi auctores can. 209 C.I.C. ob analogiam ad casum applicabant: quod insuper Pont. Comm. Interpr. responso d. 22 martii 1952 authentice confirmavit. Indebita applicatio principii corrigi non debet suppressione canonis. In praecedenti Schemate duae formulae propositae sunt, ex quibus ista maiore perspicuitate et responso Comm. Interpr. supra citato commendatur.*

Ad can. 1069

Post verbum « parochi » addatur: « *aut Ordinarii loci* ». Exactius est atque praevenit incommoda, immo et invaliditatem ob defectum formae (Exc. Henríquez).

R. *In canone non agitur de validitate nec de concessione facultatis, quae supponitur concessa vi delegationis generalis. Requiritur licentiam Ordinarii loci non est necessarium nec opportunum, immo ipsa licentia parochi non exigitur absolute sed « si fieri potest ».*

Ad can. 1070

Post verbum « alibi » addatur « *licite* » ut clare pateat agi tantum de liceitate et non de validitate (Exc. Henríquez).

R. *Non est necessarium* (cfr. can. 10). *Ad validitatem requiritur tantum facultas assistendi matrimonium, non locus ubi celebratur.*

Ad can. 1071

Ad § 1: Post « *incommodo* », addatur « *quod assistenti aut utrique vel alterutri contrahenti immineat* » (cfr. Pont. Comm. Interpr. resp., d. 3-5-1945; AAS 37 [1945], 149) (Card. König).

Ad § 2: Post verbum « *vel diaconus* », addatur « *aut laicus* » ad mentem can. 1066, § 1, quae norma valde utilis est, praesertim pro illis regionibus, in quibus perdifficile est adire sacerdotem aut diaconum (Card. Palazzini).

R. Ad § 1: *Non videtur necessarium; agitur enim de doctrina omnibus nota post interpretationem Pontificiae Commissionis.*

Ad § 2: *Admitti non potest. Si adest laicus de quo in can. 1066, § 1, scil. delegationem habens ad assistendum matrimonii, applicari nequit forma extraordinaria, quia ille laicus est « assistens ad normam iuris competens » et cadit suppositum.*

Ad can. 1072

Omittere « *nec actu formali ab ea defecerit* » (Exc. Stewart).

R. *Cfr. resp. ad can. 1039.*

Ad can. 1073

1. In § 1 supprimatur distinctio inter non-catholicos baptizatos et non baptizatos (omittere verbum « *baptizatos* »), et consequenter supprimatur § 3 (Exc. Bernardin).

R. *Distinctio omnino supprimi nequit, quia fundamentum habet magni momenti. Iuxta propositionem, non-baptizati tenerentur ad eorum matrimonium in ecclesia celebrandum, quod non expedit. Textus § 3 desumptus est ex « Ordo celebrandi matrimonium », caput III.*

2. *Ad § 1: Clare non videtur de qua ecclesia paroeciali agatur: propria contrahentis catholici (cfr. can. 1070) an de quacumque ecclesia paroeciali?*

Ad § 2: Uniatur cum praecedenti (Card. Satowaki).

R. *Ad § 1: Ecclesia paroecialis determinatur iuxta can. 1070.*

Ad § 2: Non expedit: ut pressius illustretur indolis extraordinaria huius concessionis.

Ad can. 1074

1. Multum placet, quia permittit ut, in plena fidelitate erga Evangelium, locales usus et traditiones assumantur (Card. Rugambwa).

2. Supprimatur « *probante Sede Apostolica* », quia nulla requiritur approbatio Sedis Apostolicae. Cfr. SC 63 et 67 et animadversio ad can. 792 (Card. Willebrands et Exc. Coffy).

R. Dicatur:

« § 2. *Episcoporum Conferentia facultatem habet exarandi ritum proprium matrimonii, a Sancta Sede recognoscendum congruentem locorum et populorum...* ».

Ad can. 1075

Ad § 1: Loco « quamprimum », dicatur « statim » (Card. Palazzini).

Ad § 2: Post « diaconus » addatur « aut laicus ». Cfr. animadversionem ad can. 1071 (Card. Palazzini).

Ad § 3: Dicatur « ...ut inscribatur dispensatio et celebratio in libris matrimonialibus ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecetano praescriptis; de celebrato matrimonio personas statutas quamprimum certiores reddere tenetur coniux catholicus... », ut ratio habeatur hodiernae mobilitatis. Melius est ut res decidatur iuxta locorum circumstantias ab Episcopo aut a Conferentia Episcoporum (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. Ad § 1: Imponi non potest. Sufficit « quamprimum ».

Ad § 2: Negative ob rationes ad can. 1071 allatas.

Ad § 3: Non expedit: norma Schematis postulata est a quibusdam organis consultationis ne res talis momenti incerta maneret.

Ad can. 1076, § 2

Loco « quae actis praematrimonialibus adiungenda est » dicatur: « ut in libro baptismali matrimonium adnotetur », quia parochus loci baptismi nulla habet « acta praematrimonialia » (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. Supprimitur: « quae actis praematrimonialibus adiungenda est ». Additio, tamen, proposita non est necessaria, quia iam provisum in § 1.

Ad can. 1078

1. In uno canone non sunt simul tractanda eodem fere modo matrimonia mixta inter catholicos et orthodoxos ex una parte et matrimonia mixta inter catholicos et protestantes ex altera (Card. Parecattil).

R. Non videtur necessarium quia norma substantialiter eadem esset.

2. Verbum « dispensatio » improprium est, eo quod non sit amplius impedimentum (Exc. Bernardin).

R. Verum est; et coetus consultorum canonem iam immutaverat: loco « dispensatione » dicatur: « licentia ».

Consequenter, etiam can. 1079 immutandus est: « Licentiam concedere potest loci Ordinarius, si iusta et rationabilis causa... ».

Ad can. 1081, § 3

1. Iuxta vigentem disciplinam dispensatio a forma concedi potest sive ab Ordinario loci residentiae, sive ab Ordinario loci in quo matrimonium celebratur. Schema econtra ad hunc tantum restringit potestatem dispensationem concedendi, quod minus expedire videtur. Proponitur ergo:

§ 3. « ... servandae obstant, *Ordinario loci domicilii vel quasi-domicilii partis catholicae ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, praevia licentia Ordinarii loci in quo matrimonium celebratur obtenta vel saltem praesumpta* et salva ad validitatem aliqua publica forma celebrationis... etc. » (Exc. Bernardin).

R. *Admitti potest, attamen non requiratur « licentia » Ordinarii loci in quo matrimonium celebratur, sed tantum imponatur consultatio. Dicatur ergo: « ... Ordinario loci partis catholicae ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, consulto tamen Ordinario loci in quo matrimonium celebratur, et salva ad validitatem aliqua publica forma celebrationis... ».*

2. Videtur esse *nimis exigere* ut dispensatio a forma canonica concedatur « *in singulis casibus* », praesertim in regionibus ubi talia matrimonia sunt inevitabilia et valde numerosa. Valde exoptatur ut potestas Ordinarii loci sit *delegabilis*. Conferentia Episcoporum potestne statuere et declarare quod haec dispensatio delegabilis est? (Card. Satowaki).

R. *Utpote ordinaria, potestas est delegabilis* (cfr. can. 134).

Ad cann. 1091-1094

Supprimantur, quia omnes effectus illegitimitatis in novo Schemate ablati sunt et si notio manet, manet adhuc stigma illegitimitatis quod totaliter auferri debet. Ubi opus sit, provideat ius particulare (Cardd. Hume, Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Etsi omnes effectus illegitimitatis e iure universali sublati sunt, maneant convenientius canones, quia applicationem in iure particulari habere possunt aliaque ex parte sanctitatem matrimonii suo modo in luce ponunt.*

Ad can. 1101

Eadem norma detur in cann. 1101 et 1104, § 2, pro casu quo novum matrimonium contrahatur cum parte non catholica aut non baptizata. In can. 1104, § 2, requiritur libertas — cautionibus tutelata — filios catholice baptizandi et educandi, quod non eodem modo requiritur in can. 1101 coll. can. 1079 (Card. König).

R. Admitti non potest: differentia enim ex natura rei profluit. Solutio matrimonii per privilegium « petrinum », ut aiunt, est actus gratiae, pro cuius concessione plus requiri potest quam pro casu privilegii paulini. Canon ergo maneat uti iacet.

Ad can. 1102

« ... unam ex illis, quae et ipsa baptizatur, renovato, si casus ferat, consensu in forma canonica » (Exc. Stewart).

R. Formulatio Schematis clarior videtur.

Ad can. 1104

Fortasse oporteret explicite declarare solutionem prioris matrimonii locum habere rescripto Summi Pontificis, independenter a novo matrimonio, nisi praeferatur eadem norma ac in privilegio paulino, scil. ipso facto quo novum matrimonium contrahitur praecedens solvitur (Card. König).

R. Necesse non est hoc ipsum dicere, quia iam innuitur in canone locutione: « a Romano Pontifice dissolvitur ». Ceteroquin quaestio pertinet ad doctrinam.

Ne tamen videatur per verbum « valide » Summi Pontificis potestas restringi, canon ita mutatur: « Si novum matrimonium contrahatur cum persona non baptizata vel baptizata non catholica, solutio prioris matrimonii non conceditur nisi pars non catholica parti catholicae libertatem relinquat propriam religionem profitendi atque facultatem agnoscat catholice baptizandi educandique filios ».

Suppressa est etiam locutio: « quae conditio, cautionis forma, in tuto ponenda est », quia hoc melius determinatur rescripto Summi Pontificis.

Ad can. 1106

Dicatur: « ... ius ipsi est, *manente vinculo*, solvendi coniugalem convictum », ut pateat quod vinculum matrimoniale non solvitur separatione (Exc. Henríquez).

R. *Non est necessarium. Sufficenter dicitur in inscriptione articuli: « De separatione manente vinculo ».*

Ad can. 1108

Dicatur: « Instituta separatione coniugum, opportune semper cavendum est de debita coniugis innocentis et filiorum sustentatione, necnon de educatione prolis » (Card. Florit).

R. *Quaestio inter effectus mere civiles adnumeratur, quae per se ad tribunal civile spectat (cfr. cann. 1624 et 1644, § 3).*

Ad can. 1115, § 1

« ... si servata fuerit ». Haec verba melius omitterentur. Requiritur enim ut sanatio in radice dispenset a forma canonica, etiamsi haec forma in matrimonio, invalide propter impedimentum contracto, servata fuerit (Exc. Stewart).

R. *Canon non rite intellectus est. Sanatio in radice secumfert dispensationem ab exigentia formae canonicae solummodo si haec servata non fuerit; secus opus non est dispensatione.*

Ad can. 1119, § 2

1. Exoptatur ut sanatio in radice non sit concedenda « in singulis casibus » tantum, sed ut sit *delegabilis*. Nam in terris missionum praesertim saepe recurrendum est ad sanationem in radice. Exigere a parochis ut « in singulis casibus » ad Episcopum recurrant non videtur rationem habere situationis pastoralis concretae (Card. Satowaki).

2. Dicatur: « ... ad normam can. 1030, § 2; aut si agatur de impedimento iuris naturalis aut divini positivi quod iam cessaverit, ab Episcopo dioecesano concedi nequit sanatio in radice, sed tantummodo sa-

natio de praesenti, i. e. sine retrotractione effectuum canonicorum ad praeteritum », quia « convalidatio » difficillime applicatur non-catholicis, eo quod ipsi renuunt admittere se matrimonio iunctos non fuisse. Ideoque « sanatio de praesenti » quae eosdem effectus habet ac convalidatio eveniet medium ordinarium ad convalidanda matrimonia. Non videtur praeterea qua de causa recurrendum sit ad Sanctam Sedem (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. Ad 1. *Est delegabilis, ad normam can. 134.*

Ad 2. *Tutius est ut exigatur hisce in casibus recursus ad Sanctam Sedem.*

Ad Titulum I: De sacramentalibus

Sequentes proponuntur textus:

Can. 1120 a. Sacerdotale munus Christi Ecclesia perficit celebratione Liturgiae Horarum. Deum ad populum suum loquentem audiens et memoriam mysterii salutis agens, eum sine intermissione cantu et oratione laudat ac interpellat pro totius mundi salute.

Can. 1120 b. Cum sanctificatio diei sit finis Liturgiae Horarum veritas horarum servetur.

Can. 1120 c. Liturgiam Horarum utpote actionem Ecclesiae celebratione communi vel signuli digne et devote participant tum qui mandatum speciale ad hoc acceperunt tum pro adiunctis etiam ceteri christifideles (Exc. Coffy).

R. *Etsi res potius ad liturgiam spectet animadversio admitti potest ne desint in Schemate quaedam generalia praescripta de Liturgia Horarum. Canones tamen ita corriguntur: Imprimis non post can. 1120 veniant, sed post can. 1126, tamquam Titulus II.*

Titulus II: De Liturgia horarum

Can. 1126 bis. Sacerdotale munus Christi peragens Ecclesia Liturgiam Horarum celebrat, qua Deum ad populum suum loquentem audiens et memoriam mysterii salutis agens, eum sine intermissione, cantu et oratione laudat ac interpellat pro totius mundi salute.

Can. 1126 ter. *In Liturgia Horarum peragenda, quantum fieri potest, veritas horarum servetur.*

Can. 1126 quater. *Ut Liturgiam Horarum utpote actionem Ecclesiae celebratione communi vel singuli digne participant, praeter eos qui ad hoc lege tenentur, etiam ceteri christifideles, pro adiunctis, enixe invitantur.*

In proposito can. 1120 a) omittitur verbum « perficit » ne quis falso putet tantum per Liturgiam Horarum munus Christi sacerdotale suam perfectionem attingere.

In can. 1120 b) omittitur ratio legis, quia non est legis dare rationes et additur clausula « quantum fieri potest » quae necessaria est, ne detur absoluta praescriptio et aliunde in SC 88 invenitur.

In can. 1120 c) redactio eo tendit ut clare pateat ceteros christifideles tantum invitari, non obligari.

Ad can. 1121, § 1

1. Supprimatur, quia inapplicabilis. Liber ritualis Sanctae Sedis numquam sufficientem rationem habere potest de omnibus necessitatibus et adiunctis socio-culturalibus in diversis Orbis regionibus (Card. Willebrands). Vel committatur Episcoporum Conferentiis (Exc. Coffy).

R. Hoc minime intenditur in canone, sed cum agatur de re magni momenti, reservare oportet Sanctae Sedi constitutio sacramentalium. Obvium est quod Sancta Sedes vel Conferentias Episcoporum consultabit vel earundem postulata accipiet.

Ad can. 1122

Proponitur ut verba « Sacramentalium minister ... iure non prohibitus » supprimantur, quia videntur superflua, si prae oculis habeatur canon sequens, i.e. 1123.

Reliqua pars huius canonis, absque ulla modificatione, in canonem sequentem (1123) transferatur, tamquam § 4, quia ordo logicus videtur hoc suadere (Card. Bafle).

R. Negative: iste canon magis genericus est, dum alii ad particularia magis descendunt.

Ad can. 1123

Ad § 1: Non videtur necessarium apostolicum indultum (Exc. Pimenta).

R. Loco « apostolico indulto » dicatur « legitima concessione », ut etiam ratio habeatur de delegatione ex parte Episcopi.

Ad § 3: Hucusque paucissime tantum benedictiones Diacono permittuntur. Verum tamen est quod adhuc « Benedictionale » deest (Card. Willebrands).

R. Formula textus sustinetur quia principium semper valet, etsi benedictiones paucae tantum sint.

Ad can. 1124

Petitur si terminus « non catholicis » indicat benedictiones dari posse fratribus separatis Ecclesiae vel communitalis christianae, immo, et non christianis (Card. Florit).

R. Procul dubio; si dantur etiam rebus et animalibus, a fortiori dari possunt personis humanis, etsi non catholicis aut non christianis.

Ad can. 1126, § 2

Res arbitrio et prudentiae Ordinarii loci relinquatur, nullis indicatis qualitatibus requisitis (Exc. Pimenta).

R. Qualitates criterium utile praebent, uti experientia docet.

Ad can. 1128

1. Quid significat verbum « propria »? Agiturne de ecclesia paroeiae in qua quis domicilium vel quasi-domicilium habet? (cann. 101-102). In novo Codice, saepe verbum « proprium », vel « propria » adhibetur, sed relatio cum domicilio vel quasi-domicilio non fit (Card. Satowaki).

R. Utique: agitur de ecclesia in qua quis habet domicilium vel quasi-domicilium.

2. Quodnam ius particulare praevalet? Domicilii defuncti an loci

defunctionis? Competentia normas particulares exarandi tribuatur Conferentiae Episcoporum (Card. König).

R. *Applicatur quaecumque lex particularis vigens. Ipsae legi particulari competit ultiores determinationes ferre, quin necesse sit res Episcoporum Conferentiae committere; nihilominus, in casu conflictus recursus utiliter fieri potest ob analogiam ad notum principium: « locus regit actum ».*

Ad can. 1130

Forsan rectius est dicere « Exequiae sodalium Institutorum vitae consecratae », loco « religiosorum » (Card. Florit).

R. *Sodales Instituti saecularis reguntur iure communi.*

Ad can. 1131, § 1

Dicatur « coemeterium vel columbarium » (i.e. locus vel camera ubi cineres defunctorum asservantur; nam in Iaponia, apud plures paroecias adest « columbarium », sed non coemeterium) (Card. Satowaki).

R. *Verbum « coemeterium » sumitur lato sensu.*

Ad can. 1134

1. Praeferendus videtur textus schematis praecedentis ob rationes pastorales, praesertim in regionibus ubi catholici cum christianis aliarum confessionum convivunt. Quapropter proponitur:

« § 1. Omnes christifideles et catechumeni defuncti exequiis ecclesiasticis donandi sunt nisi iisdem a iure expresse priventur.

§ 2. Baptizatis alicui Ecclesiae aut communitati ecclesiali seiunctae adscriptis, exequiae ecclesiasticae concedi possunt de prudenti Ordinarii loci iudicio.

§ 3. Etiam alii, qui aliquo modo ad Ecclesiam propinqui videbantur, sed antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae exequialia, de prudenti loci Ordinarii iudicio, ad normam legum liturgicarum, recipere possunt » (Exc. Bernardin).

R. *Canon mutatus est post ponderatum examen animadversionum (cfr. Communicationes 12 [1980] 354 ss.).*

2. *Ad § 3*: Omittatur « dummodo minister proprius haberi nequeat et non constet de contraria eorum voluntate ». Saepe accidit in mixtis matrimoniis ut non catholicus, etsi ad Ecclesiam catholicam non transierit, vicinior tamen illi est quam propriae Ecclesiae. Non clarum praeterea videtur quid significet « eorum » (Card. Freeman; Exc. O'Connell).

R. *Negative: dari nequeunt normae pro exceptionibus. Claritatis causa, tamen, ordo dicendorum erit: « ... iudicio, nisi constet de contraria eorum voluntate et dummodo minister proprius haberi nequeat ».*

Ad can. 1135

1. Non expedire videtur ut quaestio de mentione (quae in C.I.C. habebatur in cann. 1240, § 1, 1 et 2335) sectae massonicae ad Conferentias Episcoporum remittatur. Agitur enim de phoenomeno fere universali: motiva insuper incompatibilitatis inter Ecclesiam catholicam et sectam massonicam fere ubique similia exstant. De cetero suppressio explicitae mentionis in textu sectae massonicae in errorem induceret. Quapropter in Codice de hac secta mentio facienda est iterum (Card. Knox).

R. *Ad poenam et relativam reassumptionem can. 2335 C.I.C. quod attinet ad Plenariam remittitur.*

2. Reassumatur textus can. 40 praecedentis schematis iuxta quem privatio sepulturae habetur tantum ratione publici scandali; ideoque textus sit:

« § 1. Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliquae dederint poenitentiae signa, peccatores manifesti quibus eadem non sine publico christifidelium scandalo concedi possunt.

§ 2. Occurrente aliquo dubio consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est » (Exc. Bernardin).

R. *Mutatio petita est in consultatione (cfr. Communicationes 12 [1980] 355 ss.).*

Ad cann. 1137 ss.

Ad vitandam mirationem fortasse antequam de cultu Sanctorum agatur, mentionem facere oportet de adoratione Dei, in eius Unitate

et Trinitate, in Sancta Humanitate Iesu Christi, in eius Praesentia Reali Eucharistica, etc. (Card. Rosales).

R. *Non est necessarium: agitur tantum de canone introductorio et non de tractatu* (cfr. Appendicem, can. 70 LEF qui loco huius canonis 1137 veniet).

Ad can. 1138, § 2

Supprimatur, quia distinctio habetur tantum ratione extensionis geographicae. Cultus beatorum restringitur alicui regioni; cultus Sanctorum est universalis. Sed haec distinctio non est liturgica, quia actus cultus, sanctis et beatis debiti, sunt iidem. Limitationes positae sunt potius actus potestatis regiminis, quae vetat extensionem cultus. Etiam cultus Sanctorum plerumque nonnullos habet limites. Quidam, enim sancti, spatium non habent e.g. in Ecclesiis rituum Orientalium (Cardd. Palazzini et Baffie).

R. *Negative: propositio non sustinetur. Nequeunt, ex.gr., sine indulto ecclesiae Beatis dedicari. Non expedit canonem suppressere quia distinctiones adhuc sunt.*

Ad can. 1140

Addatur: « restauratio fiat ad normam legis civilis » et exigatur consultatio Commissionis Artis Sacrae », nam procedura haec suggesta est pluries a Concilio Oecumenico necnon a documentis eius applicationis (Card. Colombo).

R. *Negative: si mentio introducitur Commissionis Artis Sacrae etiam de aliis nempe Musicae et Liturgiae fieri debet mentio. Neque opportunum videtur leges civiles hac de re canonizare, immo esset periculosum. Neque commendanda est legum civilium observatio, etsi eis obsequium debeatur.*

Ad can. 1162

Normae dentur de violatione et reconciliatione sacrorum locorum. Agitur nempe de re disciplinari, quam relinquere contingentibus liturgicis praescriptionibus non oportet (Card. Rosales).

R. *Ad violationem quod attinet, sufficienter indicantur in canone gravitas, scandalum et iudicium Ordinarii Loci. Ritum paenitentialem exarare non pertinet ad Codicem.*

Ad can. 1165

De « cultu » in textu sermo tantum est, dum non solus aspectus liturgiae, scil. cultualis, sed etiam munus sanctificandi intendi debet (Cardd. Schröffer et Willebrands).

R. *Non videtur admittenda propositio: in conceptu cultus includitur etiam sanctificatio et versavice, nam duo illi adspectus non sunt exclusivi sed ambo conceptus sunt correlativi. De cetero canones inveniuntur sub titulo de munere sanctificandi. Ecclesia primarie pro cultu aedificatur.*

Ad can. 1167

Addatur quod « servantur ... et legis civilis, necnon consultatio Commissionis Artis Sacrae ». Addatur etiam post « refectione » mentio de « aptatione » (Card. Colombo).

R. *Negative* (cfr. quod ad can. 1140 notatum fuit); *aptatio includitur in refectione.*

Ad can. 1171

1. Post « absonum sit », aliquid dicatur circa ordinariam manutentionem (Card. Colombo).

R. *Admittitur: post « tuenda » addatur « ordinaria manutentionis cura ».*

2. Addere oportet sequentes vel similes praescriptiones:

a) Omnia ita disponantur ut sacrae celebrationes debita cum dignitate fiant.

b) Fideliter servantur normae de asservatione ed adoratione SS.mae Eucharistiae.

c) Habeatur sufficiens numerus sedium confessionalium crate fixa instructarum. (Novus Codex abusus « aularum confessionum », ut vocant, quibusdam in regionibus sat diffusum, totaliter eradicari debet) (Card. Rosales).

R. *Negative, nam: ad a) ad legem liturgicam pertinet; ad b) iam abundanter alibi dictum est; ad c) non omnia dicenda sunt.*

Ad can. 1173

Ad § 1: Pressius dicatur « Ad novum usum quod attinet ille praefatur qui condicionem publicam aedificii conservat (e.g. musaeum, bibliotecam ...) » (Card. Colombo).

Ad § 2: Recolatur competentia Commissionis Artis Sacrae. Dubium movetur de opportunitate audiendi Consilium presbyterale (Card. Colombo).

R. *Non videtur necessarium. Relinquitur prudentiae Episcopi dioecesani.*

Ad can. 1174

De « cultu » in textu sermo tantum est, dum non solus aspectus liturgiae, scil. cultualis, sed etiam munus sanctificandi intendi debet (Cardd. Schröffer et Willebrands).

R. *Negative* (cfr. responsionem ad can. 1165).

Ad can. 1176

Iuxta can. 1073, § 1 solum in ecclesia paroeciali matrimonia celebrari possunt, alibi tantum ex licentia Ordinarii loci vel parochi. Can. 1176 rationem habeat huiusmodi praescripti, quod non sufficienter comprehenditur sub clausula « nisi ... » (Card. O'Fiaich).

R. *Admittitur: et textus erit: « In oratoriis ... possunt, nisi quae iure aut Ordinarii loci praescripto excipiantur, aut obstant normae liturgicae ».*

Ad can. 1177

Eadem animadversio ac in can. 1174 (Card. Schröffer).

R. *Negative* (cfr. responsionem ad can. 1165).

Ad can. 1180

Cfr. animadversionem ad can. 1174 (Card. Schröffer et Willebrands).

R. *Negative* (cfr. responsionem ad can. 1165).

Ad can. 1185

1. Addatur: « accurate conserventur atque adaequate tueantur artis popularis expressiones quae *ex votis* nuncupantur, saltem ea servando in aedibus omnibus patentibus prope sanctuarium ». Ratio est quod cura in Codice ad res pretiosas tantum restringitur et hoc modo ingens patrimonium artis notae dignum destruitur vel deperditur (Card. Colombo).

R. *Additur § 2, cuius textus est: « Votiva artis popularis et pietatis documenta in sanctuariis aut locis adiacentibus spectabilia servantur atque secure custodiantur ».*

2. In sanctuariis, praesertim diebus magni fidelium concursus, provideatur adaequatus numerus confessorum et sedium confessionalium; participatio enim in liturgia, in specie receptio Ss.mae Eucharistiae statum gratiae requirit (Card. Rosales).

R. *Iam provisum per verbum « abundantius ».*

Ad can. 1188, § 1

Sufficit ut altare mobile benedicatur quin eius dedicatio requiratur (Card. Florit).

R. *In canone relinquitur libertas et ad normas liturgicas remittitur.*

Ad can. 1190

Cfr. animadversionem ad can. 1174 (Cardd. Schröffer et Willebrands).

R. *Cfr. ea quae notata sunt ad can. 1174.*

Ad can. 1191

1. Dicatur « coemeterium vel *columbarium* » (i.e. locus vel camera ubi cineres defunctorum asservantur). Nam, in Iaponia, apud plures ecclesias paroeciales adest « columbarium », sed non adest « coemeterium » (Card. Satowaki).

R. *Cfr. responsionem ad can. 1131, § 1.*

2. Non invenitur in novo Codice mentio de iure asyli, quo Ecclesia semper gavisata est, quod videtur servandum esse. Esset renuntiatio omnino gratiosa, quae de caetero bene reddit sensus sacer Ecclesiae (Card. Knox).

R. *Non videtur admittenda propositio de iure asyli. Eius suppressio facta fuit pluribus rogantibus organo consultationis utpote ius ad Ecclesiam non necessarium et hodie superatum: esset sola affirmatio in scriptis vel litteris.*

Ad can. 1196

Canon interpretandus videtur eo sensu quod parochus facultate gaudeat dispensandi ab obligatione servandi diem festum vel diem paenitentiae aut commutandi in alia pia opera, sive pro singulis personis vel familiis sive pro tota paroecia, et non solum pro una vel altera vice, sed etiam ad tempus indeterminatum. Transeat huiusmodi sic ampla facultas pro diebus paenitentiae. Sed nimis ampla videtur pro dispensatione ab obligatione observandi diem festum. Timeo ne, per hanc viam, praeceptum de participando eucharistico Sacrificio die dominica vel festo de praecepto paulatim labefactetur, auctoritate ecclesiastica consentiente (Card. Bafile).

R. *Agitur de eadem praescriptione quae in can. 1245, § 1 C.I.C. invenitur; dispensatio suis normis regulatur (« in casu particulari », « ad*

bonum spirituale fidelium », « secundum Ordinarii loci praescriptiones »): et non potest a priori eius indebitus et arbitrarius usus praesumi. Timor animadversioni subiaccens quamcumque applicationem principii subsidietatis impossibilem redderet.

Ad can. 1197, § 1

Dies festi *numerosiores* sint, concessa Episcoporum Conferentiae facultate, exceptiones, ubi possibile non sit civiliter festivitatem retinere, statuendi (Card. König).

R. *Non admittitur propositio propter impossibilitatem fixandi modo generali alios dies festos pro universa Ecclesia. Melius est ut res demandetur Conferentiis Episcoporum.*

Ad can. 1198

1. Addere: « commendatur illis ut Liturgiam Horarum, praesertim Vesperas ac alia pia et sacra exercitia participant » (Exc. Coffy).

R. *Non expedit, ne vis obligationis praecepti per istas commendationes enervetur.*

2. Propter rationes pastorales quae verificantur ubi maxima penuria habetur sacerdotum additio § 2 proponitur cuius textus est: « In locis ubi Missa celebrari non potest, praesertim in dominicis et diebus festis, fideles celebrationi Verbi Dei participant » (Exc. Falcão).

R. *Non oportet talem obligationem, saltem lege universali, imponere, forte dari potest commendatio.*

Ad can. 1199

Quaedam desideratur clarificatio circa locutionem « vespere diei praecedentis ». Significat quod praeceptum Missae dominicalis adimpleri potest per participationem ad quamlibet Missam die sabbati horis vespertinis? Aut significat quod semper requiritur facultas? (Exc. Pimenta).

R. *Consulto formula generalis adhibetur ut casuistica et anxietates vitentur. Certissime adimpletur praeceptum per participationem ad quamlibet Missam die sabbati horis vespertinis.*

Ad can. 1203

1. Loco « adstringuntur omnes aetate maiores », ponatur: « omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno » ut in Const. Apost. *Poenitemini* (a. 1966), praesertim quia apud plures invaluit opinio nunc actum esse de Feria Sexta « Catholicorum » praecise quoad observantiam abstinentiae ... dum licitum sit unicuique pro suo proprio arbitrio exercitium quoddam pietatis vel actum caritatis fraternae substituere. Clausula « omnes aetate maiores » ambiguitati patet, quae vitatur si verba ipsius Const. Apost. servantur, nempe « expleto vigesimo primo » (vel « decimo octavo » si ita mutandum est in novo Codice) (Card. Cooray).

R. *Non videtur necessarium. In iure canonico, verba « aetate maiores » clarissima sunt, et interpretantur ad normam can. 96.*

2. Proponitur insuper ut praevis (ad modum Tituli) canon poneretur doctrinam asceticam summam referens quae tam egregie exponitur a Paulo VI in ipsa Const. Apost. *Poenitemini* — eo vel magis quod nostris diebus sensus paenitentialis valde obtundi videtur (Card. Cooray).

R. *Non est necessarium. Haec omnia inveniuntur in manualibus vel etiam in aliis documentis. Codex leges tantum continere debet, cum exacta et sobria formulatione iuridica.*

3. Contra sanam rationem videtur hoc in tempore introducere conari *universalem* obligationem abstinentiae a carnis comestione singulis feriis VI. Similis conatus incassum ibit. Sufficit ergo ut in canone Episcoporum Conferentiae committatur praescribendi specificam formam paenitentiae (non necessario abstinentiam), localibus adiunctis aptatam (Card. Hume; Exc. O'Connell, et fere eodem sensu Exc. Pimenta).

R. *Non videtur contra sanam rationem esse, si ita praescribitur in Const. Ap. Pauli VI Paenitemini, anni 1966 (II, § 3). De cetero, quod postulatur iam dicitur in can. 1204.*

Ad cann. 1202-1204

Res omnino relinquatur iudicio Conferentiae Episcoporum. Loco cann. 1202-1204 dicatur:

« Episcoporum Conferentiae est dies et formas paenitentiae suae re-

gioni aptatas determinare, fidelibus suis proponere et, ratione habita adiunctorum, easdem praescribere ».

Si tamen necessarium censetur obligationem universalem imponere abstinentiae sequenti fiat textu: « Abstinentia a carnis comestione vel ab alio cibo iuxta Conferentiae Episcoporum praescripta, servetur ... etc. » (Exc. Bernardin).

R. *Mutationes in schemate praecedenti inductae fuerunt rogantibus pluribus organis consultationis* (cfr. *Communicationes* 12 [1980] 362 ss.).

LIBER V
DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Animadversiones generales

1. Non videtur opportunum aequo iure, sine accurata distinctione utriusque competentiae, exigere interventum Consilii a rebus oeconomicis et Consilii presbyteralis (Card. Marty).

2. Card. Colombo proponit ut inseratur conceptus « *bonorum culturalium* » de quorum tutela in Schemate modo incompleto, insufficienti et non organico agitur.

Normae de hac materia colligantur in uno Titulo vel Capitulo et contineant inter alia: rationes quae Ecclesiam movent non solum ad tutelam praestandam verum etiam ad ipsum valorem culturalem horum bonorum agnoscendum; Ecclesiae autonomiam hac in regione; commendationem observantiae normarum civilium hac in re vigentium, sive nationalium sive internationalium, hanc observantiam etiam ope conventionum promovendo. Plura ad ius particulare remittantur.

R. Ad 1: *Interventus utriusque organi non indiscriminatim exigitur sed attendita eorum specifica competentia. Auditur v.gr. Consilium presbyterale in can. 1213, quia impositio tributi non est solummodo quaestio technico-oeconomica, sed etiam actus gubernii pastoralis.*

Ad 2: *Animadversio prae oculis habebitur in revisione canonum qui de hac materia agunt, sed non censetur necessarium unum componere Titulum, praesertim nullam expedit commendationem vel canonizationem iuris civilis.*

Ad can. 1208

Addatur: « *reguntur iuxta cann. 698, § 3 et 701, § 1, et propria statuta* » (Card. Jubany).

R. *Non videtur necessarium, nam in lege generali non sunt remissiones ad casus particulares faciendae.*

Ad can. 1213

1. Canon iste melior est quam canon praecedentis Schematis. Oportet tamen limitationem quandam etiam ratione temporis introducere ne tributa perpetua evadant. Post verbum « *imponendi* » addi potest « *ad tempus* » (Card. Carter).

R. *Huiusmodi limitatio superflua videtur, nam inclusa est in verbo « extraordinarium »: tributum perpetuum non est amplius extraordinarium.*

2. « *In quantum Ecclesiae necessitates postulant, ius est Episcopo dioecesano tributum moderatum christifidelibus necnon personis iuridicis, sive publicis sive privatis, aequitate servata, imponendi; quod tamen ne fiat nisi audito Consilio a rebus oeconomicis et Consilio presbyterali; nullum vero tributum imponi potest super eleemosynis Misarum* » (Cardd. Hume, Freeman et Ratzinger; Exc. O'Connell).

Proponitur insuper a Card. Ratzinger alia paragraphus: « *Conferentia Episcoporum pro suo territorio normas statuere valet ad ordinationem tributorum regendam* ».

Rationes:

a) Verbum *extraordinarium* nimis restringit potestatem Episcopi, qui ita nequit tributum pro ordinariis necessitatibus dioecesis imponere (Cardd. Hume et Freeman).

b) Retineatur substantialiter can. 5 prioris Schematis (a. 1977). Formulatio novissimi Schematis rationem non habet illarum regionum in quibus viget systema tributi ecclesiastici (Kirchensteuersystem) et quae, novo Codice adveniente, non amplius hoc systemate uti possunt. Huiusmodi systema, ubi a fidelibus acceptatur, solutio praeferenda videtur (Card. Ratzinger).

3. *Contrariam sententiam* tenet Card. Rosales, qui animadvertit canonem sine ulteriore determinatione admitti non posse, quia iniustitiis ansam praebet. Explicite statuatur quod ius Episcopi restringitur ad personas eius iurisdictioni subiectas, exclusis proinde Institutis iuris

pontificii. Absonum etiam videtur tributum aliquod clericis imponi, qui stipendium a dioecesi non percipiunt.

R. Ad 2. *Propositio non videtur admittenda. Modificationes ad can. 5 prioris Schematis numerosis animadversionibus organorum consultationis respondent. Inter alia difficultates moverunt S. C. pro Clericis, de Propaganda Fide, CE Argentinae, Uruguaiensis, Australiae, Angliae, U.S.A., Universitas Catholica Americae, etc. Censuerunt enim potestatem Episcopo concessam nimiam et quasi illimitatam esse, ac proinde aliquo modo circumscribi et delimitari debere. In specie expresse postulatum est quod subiecta passiva, exclusis religiosis, essent tantum personae iuridicae iurisdictioni Episcopi subiectae.*

Aliunde norma Schematis vicinior est Codici iuris canonici vigenti, in quo, praeter cathedraticum tributum pro Seminario et tributum in actu foundationis vel consecrationis forte impositum, tantum licet Ordinario loci, speciali dioecesis necessitate impellente, omnibus beneficiariis, extraordinariam et moderatam exactionem imponere (cfr. can. 1505).

Systema « Kirchensteuer » non primario ab impositione Ecclesiae, sed a lege civili pendet; hoc praeterea systema vigeat etiam sub Codice Iuris Canonici, etsi Codex Ordinario loci nullum agnoscit ius simile tributum imponendi. Si denique « a fidelibus acceptatur » datur facti-species can. 1214.

Animadversio demum non sufficienter considerat quod in novo Schemate systema ordinarium acquisitionis bonorum invenitur in can. 1214, scil. fit per « subventiones rogatas », dum e contra « tributum » impositum est tantum medium extraordinarium. Hoc sensibilitati hodiernae, praxi et realitati magis respondet, quia ubi lege civili non imponitur, nullam habet Ecclesia effectivam (coercitivam) potestatem quibuslibet christifidelibus imponendi tributa.

Ordo cann. 1213 et 1214 invertitur ut pateat quod primo agitur de modo ordinario et postea de modo extraordinario acquisitionis bonorum.

Ad 3: Servetur canon uti est, si manet restrictio « extraordinarium ».

4. Tribuere Episcopo ius singulis christifidelibus tributum imponendi videtur, ut aiunt, utopicum. Valde opportunum e contra censetur quod tributa imposita personis iuridicis publicis (praesertim paroe-ciis) ordinarium medium evadant ad necessitates dioecesis subvenien-

das. Quidquid sit, petitur ut in canone iterum inseratur functio normativa Conferentiae Episcoporum.

Proponitur: « Ius est Episcopo dioecesano ad administrationem dioecesis implendam tributum ordinarium et moderatum personis iuridicis publicis imponendi, quod tamen ne fiat nisi cum consensu Consilii a rebus oeconomicis et Consilii presbyteralis et attentis normis Episcoporum Conferentiae » (Exc. Bernardin).

R. *Cfr. responsum ad praecedentes animadversiones. Interventus Conferentiae Episcoporum suppressus est quia non necessarius iudicatur et ducere potest ad nimiam et indesideratam centralisationem. Ubi tamen Episcopi concordēs sunt agere potest Conferentia Episcoporum ad normam can. 330, § 4.*

Ad can. 1215

Loco « conventus Episcoporum provinciae » dicatur « Ordinarius » (Card. de Araujo Sales).

R. *Non expedit. Hac enim de re oportet ut aliqua uniformitas, saltem in ambitu provinciae ecclesiasticae, detur. Eadem norma habetur in can. 1507 C.I.C.*

Ad can. 1220

Dicatur in linea 2: « ...acquiri non solum a publicis sed etiam a privatis personis possunt ... », claritatis causa (Card. König).

R. *Admittitur quoad substantiam, et proinde post verbum « acquiri » additur « etiam ».*

Ad can. 1223

Supprimatur (Cardd. Ratzinger et König). Ratio: Statuitio inutilis et iniusta, cuius applicatio quibusdam in locis, plures inveniet difficultates. Pastoralis tendentia huic normae subiacens periculosa est et ad erroneas ducit conclusiones. Rationem enim non habet historiae, neque Ecclesiae structurae, quae ab immoderata et inutili centralisatione abhorret (Card. Ratzinger).

In mutatione tandem documentorum proprietatis (eo quod benefi-

cium paroeciale titularis est proprietatis in Austria) superingens pecuniae summa inutiliter disperiret. Burocratia augetur et periculis non paucis ob monetariam crisim aliamve ob causam patrimonium Ecclesiae exponeretur (Card. König).

R. Canon supprimi nequit, quia substantialiter praescripto Concilii Vaticani II (PO, 20) respondet.

Hoc canone nullo modo supprimitur proprietas bonorum quam singulae personae iuridicae ecclesiasticae habent neque omnia bona in dioecesi centralisuntur in Instituto de quo in can. 1225. Videantur cann. 1206, 1207 et 1230, in quibus liquido patet principium proprietatis non centralisatae bonorum.

Notetur insuper quod canon loquitur de « beneficia proprie dicta », non de quibuscumque bonis ex quibus redditus ad onus aliquod solvendum promanant.

Ut tamen non videatur indiscriminatim imponi suppressio beneficiorum, canon ita temperatur:

« In regionibus ubi beneficia proprie dicta adhuc existunt, Episcoporum Conferentiae est, opportunis normis cum Apostolica Sede concordatis et ab ea approbatis, huiusmodi beneficiorum regimen moderari, ita ut redditus immo quatenus possibile sit ipsa dos beneficiorum ad institutum de quo in can. 1225, § 1 paulatim deferatur ».

Ad can. 1225, § 1

1. Praescribere oportet quod oblationes occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium Instituto de quo in hoc canone devolvantur et statuatur praeterea quod tantum clericis saecularibus hoc Institutum reservetur (Card. Siri).

R. Lege universali imponi non potest. Attentis autem adiunctis determinari potest lege particulari. Clerici quibus per Institutum providebitur sunt omnes qui in favorem dioecesis servitium praestant (cfr. PO 20; ES I, 8) nulla distinctione facta. Res est iustitiae.

2. Suppressus est interventus Conferentiae Episcoporum qui aderat in praecedente Schemate: « Advigilent Episcoporum Conferentiae ... » et in *Ecclesiae Sanctae*, n. 8. Huiusmodi interventus valde utilis immo aliquatenus necessarius iudicatur.

Petitur insuper ut iterum inseratur clausula: « fundamentaliter aequali sustentationi clericorum » (Exc. Bernardin).

R. *De interventu Episcoporum Conferentiae prae oculis habeatur quod, rogantibus per multis organis consultationis, assumptum est criterium generale, iuxta quod ubi non est necessarium non demandatur Conferentiae potestas decreta generalia ferendi. Ut vitetur immoderatus centralismus (quod fere semper in manus recidit Secretariae permanentis) et Episcopis non adimatur ius nativum propriam dioecesim regendi.*

Hoc in casu melius est ita libertati favere, ut singulae dioeceses, attentis diversis adiunctis locorum et personarum, provideant. Quod non impedit quominus Episcopi, si unanimiter hoc volunt, de re in Conferentia Episcoporum tractent ipsamque gerant.

Ad clausulam postulatam quod attinet censetur sufficere remissionem ad can. 255 ubi criteria dantur pro retributione. In legibus particularibus res potest ulterius determinari.

Ad can. 1225, § 4

Supprimantur verba « foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam », quia superflua et non semper utilia (Card. Bafle).

R. *Admittitur.*

Ad can. 1226

Suppressa est mentio Conferentiae Episcoporum quae aderat in praecedente Schemate (Exc. Bernardin).

R. *Cfr. responsum ad can. 1225 § 1.*

Ad can. 1228

Uterius determinantur actus ... qui sunt *maioris momenti*, addatur ex. gr.: « ratione artis, valoris historici, vel oeconomici aut ob specialem populi devotionem, si de obiecto cultus agatur, etc. » (Card. Jubany).

Iuxta Card. de Araujo Sales desideratur aliquod criterium legale

pro dignoscendis actibus *extraordinariae administrationis*, cum ad eos actus ponendos egeat Ordinarius consensu tum Consilii a rebus oeconomicis tum Collegii consultorum (can. 1228), dum autem in can. 1243, §§ 1-2 sufficit consensus Consilii a rebus oeconomicis. Cfr. etiam can. 1246, in quo consulte excipitur can. 1243.

Fere eodem sensu Exc. Bernardin, qui postulat insuper ut Episcoporum Conferentiae committatur definitio actuum *extraordinariae administrationis* vel saltem statuitio quorundam criteriorum generalium et obiectivorum.

R. *Non possunt lege generali determinari quinam sint actus maioris momenti. Sufficit quod dicitur in canone: « attento statu oeconomico dioecesis ». Criterium propositum inadaequatum est et ex parte iam memoratur in can. 1243, § 2.*

Neque possibile est determinari « actus extraordinariae administrationis ».

Ut tamen melius concordet iste canon cum can. 1243, supprimitur in primo commate mentio « Collegii consultorum », quae manet tamen in secundo. Canon ita modificatur:

« Episcopus dioecesanus ad actus administrationis ponendos, qui, attento statu oeconomico dioecesis, sunt maioris momenti, Consilium a rebus oeconomicis audire debet; eiusdem tamen Consilii atque etiam Collegii consultorum consensu eget, praeterquam in casibus iure universali vel tabulis foundationis specialiter expressis, ad ponendos actus extraordinariae administrationis ».

Animadvertendum est quod propter errorem typographicum non invenitur can. 1243 inter illos citatos in can. 1246.

Ad can. 1234

1. *Obligatio iurandi nimis extenditur: Comprehendit v.gr. parochos, qui tamen simili iureiurando non adstringuntur quoad ceteras suas obligationes. In can. 1522, l. C.I.C., ex quo desumpta est norma, obligatio restringitur ad quosdam administratores (de quibus in can. 1521 C.I.C.) (Card. O'Fiaich).*

2. *Inventarium sit universale, ad omnia scil. bona culturalia ecclesiastica extendatur, i, e. ad bona quae aliquo modo, ordinario et extra-*

ordinario, testimonium culturae a fide inspiratae, praebent. Criterium de « pretiositate » rerum nimis est restrictum. Ad bona culturalia quod attinet, necesse non est ut in inventario de « aestimatione », quae perdifficilis est, agatur. Sufficit « descriptio » (Santi, peritus Card. Colombo).

R. *Ad 1: Melius est ut maneat obligatio generali modo statuta, nam in administratione ecclesiastica, quae tantum momentum fiducia tribuit, non sufficientes adsunt recognitiones et disputationes.*

Ad 2: Prima pars admittitur, et canon ita modificatur: « Canon 1234 - 1) ...

2) accuratum ... rerum mobilium sive pretiosarum sive utcumque ad bona culturalia pertinentium aliarumve cum descriptione ... ».

Ad can. 1237, n. 2

Loco « ita ut ... colendi », dicatur: « ita ut iidem suis et suorum necessitatibus convenienter providere valeant », ut melius respondeat situationi oeconomicae Institutorum ecclesiasticorum, plerumque parum prosperae (Card. Bafile).

R. *Admittitur.*

Ad can. 1238, § 2

Loco « nisi iusta causa aliud suadeat » dicatur: « iuxta locorum consuetudines, servato modo iure particulari statuto, rationes fidelibus reddere debet (vel reddantur) » (Card. Palazzini).

R. *Canon ita corrigitur:*

« Canon 1238 - § 1) ...

§ 2: De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores rationes fidelibus reddant iuxta normas iure particulari statuendas », ita ut non tantum modus sed ipsa redditio rationis relinquatur determinationi iuris particularis.

Ad can. 1239

Addatur: « Caveant tamen ne ex retardata vel deficiente contestatione decurrat aliquis terminus fatalis vel aliud praeiudicium personae

iuridicae proveniat », quia in iure processuali nonnullarum Civitatum adest possibilitas processus monitorii (italice: procedimento per ingiunzione), in quo partis conventae non oppositio intra praefinitum tempus confert vim definitivam decreto iudicis, qui petitionem actoris, salvo iure oppositionis ex parte conventi intra praefinitum tempus, acceperat (Card. Bafile).

R. Non admittitur quia nimis particularis et non necessaria. Sufficiunt principia generalia iuris.

Ad can. 1242

Conceptus « patrimonii stabilis », etsi classicus et traditionalis, hodie, criteriis oeconomicis mutatis, insufficiens videtur. Oportunum ergo esset conceptum magis flexibilem alienationis, attento etiam can. 1246, in hunc canonem introducere (Exc. Bernardin).

R. Quod postulatur iam habetur in Schemate, nam requisita ad alienationem faciendam omnibus negotiis applicantur in quibus conditio patrimonialis personae iuridicae peior fieri potest (can. 1246). Ergo conceptus alienationis in praxi ampliatur. Animadvertitur quod in canone 1246 ob mendum typographicum deest mentio canonis 1243, quod magni est momenti.

Ad can. 1243, § 1

1. Post verba « ab Episcoporum Conferentia », addatur: « *adprobante Apostolica Sede* », quia expedire videtur quod ipsa Sancta Sedes interveniat etiam in statuenda summa minima (cfr. § 2) pro qua licentia eiusdem Sanctae Sedis requiritur (Card. Bafile).

2. Religiosis aequiparari debent Societates vitae apostolicae (Card. Florit).

R. Ad 1: Non necessarium, quia vi can. 330 § 2 omnia decreta Conferentiae Episcoporum a Sancta Sede recognosci debent.

Ad 2: Admittitur. Sufficit ut initio canonis, loco « Salvo iure Institutorum religiosorum », dicatur « Salvo can. 564, § 3 ». Cfr. can. 667 § 1.

Ut tandem ratio habeatur animadversionis ad can. 1228, ita modificatur § 1:

« Salvo praescripto can. 564 § 3, cum valor bonorum ... cum consensu Consilii a rebus oeconomicis et Collegii consultorum necnon eorum quorum interest ».

3. In alienatione rationem habere oportet etiam adiunctorum peculiarium, ut magnitudinis dioecesis, etc. Proponitur sequens textus: § 1. *« Salvo iure institutorum religiosorum, cum valor bonorum quorum alienatio proponitur, continetur, infra summam ab Episcoporum Conferentia pro sua cuiusque regione definiendam per normas quae conditiones particulares memorant, auctoritas competens ... etc. (Card. Carter).*

R. Nihil impedit quominus Episcoporum Conferentia rationem habeat illarum particularum conditionum ad summam definiendam. Necesse non est ut hoc praescribatur. Alia ex parte quaedam conditiones particulares ordinis oeconomici iam memorantur in §§ 3 et 4.

4. Non patet ratio exigendi S. Sedis licentiam. Ipse Ordinarius loci in meliori est conditione ad iudicium hac de re ferendum (Exc. Pimenta).

R. Experientia contrarium aliquando docet. Normae eo tendunt ut conditio patrimonialis dioecesis protegatur.

5. Ex § 1 non clare eruitur quod Episcopus in alienandis bonis dioecesis consensu quodam egeat, nam dioecesis non venit sub personis iuridicis in ipsa § 1 memoratis. Exigentia consensus venire potest ex eo quod alienatio consideretur actus extraordinariae administrationis: quod tamen evidens non est.

Admissa hac interpretatione non patet quoque quod Episcopus licentiam Sanctae Sedis requirere debeat in casibus de quibus in § 2. Ibi enim dicitur *« insuper »*, scil. relate ad personas de quibus in § 1 (Exc. Bernardin).

R. Ut omnis vitetur ambiguitas in re magni momenti addatur ad § 1:

« Eorundem quoque consensu eget ipse Episcopus dioecesanus ad bona dioecesis alienanda ».

Ad can. 1245, § 1

Loco « minore pretio *ordinarie non debet* » dicatur: « *minore pretio alienari nequit* », ne conditio patrimonialis personae iuridicae ex huiusmodi alienatione peior fiat (Card. Palazzini).

R. *Admitti nequit. Res iam considerata fuit in primo coetu consultorum et non admissa, nam opportunitas rem aliquam alienandi, non exclusive a pretio pendet, sed etiam a variis circumstantiis quae intervenire possunt. Non semper possibile est rem pretio peritiali alienari.*

Ad can. 1253

Institutis religiosis aequiparentur Societates vitae apostolicae (Card. Pironio).

R. *Admitti potest.*

Ad can. 1255

Can 1255 et can. 1256 coniungantur in unicum canonem, in quo § 1 sit can. 1256 et § 2 sit can. 1255, inserto tamen verbo « *ulteriores* » ante verbum « *conditiones* »: ne erronee censeatur antequam ius particulare conditiones de quibus in can. 1255 statuatur, dari lacunam legis et piam foundationem acceptari non posse (Card. Bafile).

R. *Admittitur.*

Canon 1255 ita modificatus, fit § 2:

« *Ulteriores conditiones ad constitutionem et acceptance[m] fundationum quod attinet iure particulari definiantur* ».

Ad can. 1260

Eadem facultas concedatur Superioribus Societatum vitae apostolicae (Card. Pironio).

R. *Non expedit. Agitur de materia quam Sancta Sedes semper voluit suo submittere iudicio ac proinde melius est ut facultas restricta maneat.*

LIBER VI

DE SANCTIONIBUS IN ECCLESIA

Animadversio generalis:

1. Optandum est, ut in novo Codice, antequam de delictorum punitione in genere sermo fiat, principia clara circa elementa delicti quae insimul concurrant, nempe *materiale* seu corpus delicti, *subiectivum* i. e. intentio criminosa, *iuridicum* i. e. sanctio canonica, praemittantur ad confusiones vitandas ex una parte et, ex altera parte, ne arbitrio via aperiatur in materia poenali (Cardd. Palazzini et Siri).

R. *Consulto omissae sunt definitiones, quippe quod Codex non est manuale scholasticum et in iure definitiones ipsae periculosae sunt; principia tamen clare erui possunt ex canonibus* (cfr. v. gr. can. 1272).

2. Licet Schema de facto non sit rigorosum, requiri videtur ut mitius appareat. Abbrevietur et simplificetur tum pro pastoribus qui omnia meminisse deberent tum pro fidelibus qui monitionibus magis quam minis movendi sunt. Vix decet ut totus Liber de poenis agat.

Titulus sit: « De Disciplina Morum et de Sanctionibus in Ecclesia.

Ordo mutetur: primo loco veniant aliqui canones de disciplina morum, deinde de remediis sive pastoralibus sive poenalibus. Tunc tandem de poenis in genere et in singula delicta.

Numquam in lege universali habeatur nisi unica poena in unicum delictum. Quid enim prodest aliam addere poenam eo qui iam excommunicatus est.

Semel tantum dicatur Ordinarium poenam augere vel minuere posse pro gravitate delicti, quin hoc in singulis canonibus repetatur (Exc. Stewart).

R. *Ius poenale ad essentiale tantum contractum est. Quaedam poenae nuper additae sunt, post consultationem, pluribus rogantibus Episcopis et Conferentiis Episcoporum.*

Titulus propositus admitti nequit, quippe quod de disciplina morum passim in Codice agatur, fere in omnibus libris de iure substantivo tractantibus.

In factis specie poenali poenae tantum comminantur (si sint ferendae sententiae), et si plures sunt id fit ut superior aut iudex possit poenam seligere quae melius gravitati obiectivae et subiectivae delicti et conditionibus delinquentis aptatur.

Hoc non affirmatur pro omnibus delictis sed tantum ubi de poenis applicandis. Si in aliqua factis specie memoratur, id fit quia secus non potest iudex poenam graviores imponere.

Ad can. 1263

Mentionem fieri oportet de finalitate charitativa et salutari sanctionum in Ecclesia (cfr. 1 Cor. 5, 5) (Card. Suenens).

R. Questiones doctrinales, plerumque discussas, omittit Codex. De cetero, quod postulatur erui potest ex cann. 1269 et 1293.

Ad can. 1269

Ponatur tamquam primus canon Tituli (Card. Siri).

R. Canon suam vim servat etiam si non venit primo loco. Canon agit de constitutione poenarum (subintelligitur a legislatoribus infra Romanum Pontificem) et logice praemittendi sunt canones generaliores.

Ad can. 1272

1. In configuratione delicti culposi addatur: « ex ignorantia vel errore culpabili legis vel poenae » (Card. Siri).

2. Affirmetur praeterea tamquam principium *punitio* delicti culposi nisi aliud caveatur, et non viceversa (Card. Siri).

R. Ad 1: Non est necessarium quia includitur in conceptu: « ommissio debita diligentiae ». In doctrina iuridica poenali, culpa reducitur ad negligentiam, i. e. ad omissionem debita diligentiae. Hoc evenit etiam in casu ignorantiae. Tota enim ratio eius culpabilitatis petitur ex omissione

debitae diligentiae in comparanda necessaria cognitione legis poenalis, unde fit ut laborans tali ignorantia non valeat perpendere conditionem iuridicam suae actionis aut omissionis. « Qui agit irretitus ignorantia praevidit quidem omnes effectus suae actionis, sed omisit investigare vel legis praescriptum vel facti ad quod tendit relationem cum lege; quae omissio est plerumque effectus negligentiae » (WERNZ VIDAL, *Ius poenale ecclesiasticum*, ed. altera, Romae 1951, p. 71. Cfr. etiam SOLE, *De delictis et poenis*, Romae 1920, p. 14. Cfr. praesertim SCHWARZ A. B., *Figura hominis diligentis in re culpa iuridicae*, Romae 1952).

Sub adpectu practico de ignorantia sufficienter agitur in cann. 1274, n. 2 et 1275, nn. 8 et 9.

Ad 2: Non concordaret spiritui et principiis revisionis Codicis. De cetero sufficienter providetur per cann. 1274 et ss.

3. Notio imputabilitatis non clara est; quaedam confusio utriusque fori videtur haberi ex referencia ad « culpam ». Proponitur ergo: « Nemo punitur nisi externa legis vel praecepti violatio, ab eo commissa, sit graviter imputabilis » (Card. Carter).

R. *Minime. Verbum « culpa » sumitur sensu tecnico in iure poenali usitato (cfr. can. 2199 C.I.C.). Non videtur quomodo hic sermo esse possit de confusione inter forum internum et externum.*

Ad can. 1274

Non videtur quomodo hoc in casu, actus positus sub metu gravi, considerandus sit uti delictum, quod poena punitur, etsi actus sit intrinsece malus aut vergat in damnum animarum. Revera, in casu vis et metus gravis, a causa libera ab extrinseco incussi, et quidem iniuste, deest elementum substantiale seu constitutivum delicti, i. e. deficit voluntas. Aliis verbis deest intentio criminosa (Card. Palazzini).

R. *Animadversio admitti nequit nam est contra praescriptum Codicis vigentis quod substantialiter retinetur in novo Schemate (cfr. cann. 2205 § 3 et can. 2229 § 3, 3 C.I.C.) et contra doctrinam traditionalem ab omnibus admissam. Metus, etsi gravis, nullo modo aufert voluntatem. « Coacta voluntas, est semper voluntas ».*

Ad can. 1274, n. 1

Ponatur « duodevigesimum aetatis annum » loco « sextum decimum aetatis annum »; nam maior est persona quae duodevigesimum aetatis annum explevit, infra hanc aetatem, minor (cfr. can. 96, 1). Persona in Ecclesia subiectum sanctionum esse non debet nisi plenum exercitium iurium acquisiverit (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. Maneat canon uti iacet. Non videtur qua de causa minor post decimum sextum eximi debeat ab omni poena. Ad mitigationem quod attinet sufficienter providit canon.

Ad can. 1274, n. 4:

Secundum traditionem disciplinarem Ecclesiae addatur: « in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis » (Card. Siri).

R. Non videtur admittendum. Actus qui vergunt in contemptum fidei aliquo modo iam sunt intrinsece mali. Quoad contemptum auctoritatis ecclesiasticae nemo hodie sustinet talem esse gravitatis ut metus gravis his in casibus a poena non excuset.

Ad can. 1276

Canon est incohaerens; nam « mentis perturbationes » non dependent a voluntate subiecti, sed sunt *anomaliae psychicae*, quippe quae numquam quaesitae sunt industria ad delictum patrandum (Card. Palazzini).

R. Canon repetit praescriptum Codicis vigentis (can. 2201 § 3) et se refert ad eas mentis perturbationes (puta per « drogam ») quae de industria provocantur ad facilius delictum patrandum.

Ad can. 1277, § 1

Post n. 2, addatur: « eum qui delictum patravit in personam quae in dignitate sit constituta » (Card. Siri).

R. In Ecclesia ubi pastores « fratribus suis inserviunt » (LG, 18) ad tutelam ecclesiasticae auctoritatis sufficiunt can. 1322 ceteraeque factispecies poenales, quin necesse sit circumstantiam aggravantem constituere.

Ad can. 1279, § 1

Affirmetur imputabilitas in conatu delicti (Card. Siri).

R. *Ex poena quae aliquando comminatur desumitur imputabilitas. Prae oculis habeatur natura Codicis, qui non est tractatus scholasticus. Ceteroquin sufficienter providetur in § 2.*

Ad can. 1281

Loco « recipiat » dicatur « percipiat » (Card. Siri).

R. *Admittitur: mendum est typographicum.*

Ad can. 1282.

1. Definitiones excommunicationis et interdicti iterum inserantur in novo Codice licet renovando definitiones quae in cc. 2257 et 2268 veteris Codicis continentur, causa maioris claritatis (Card. Philippe et Siri, qui petit insuper ut addatur prohibitio recipiendi ministeria, exclusio ab indulgentiis et a fructibus habitualibus Ecclesiae precum).

R. *Non est legis dare definitiones. Sufficit ut perspicue indicentur effectus, quibus indicatis, facile est doctoribus definitionem conficere.*

2. Permittatur receptio sacramentorum Poenitentiae et Unctionis infirmorum, ut vitetur confusio utriusque fori. Proponitur proinde: § 1, n. 2. *Sacramenta vel sacramentalia celebrare et sacramenta recipere, exceptis sacramentis reconciliationis et unctionis infirmorum »* (Card. Carter).

R. *Plene concordamus cum animadversiones et eius fundamento, et libenter eam acceperimus, nisi a Patribus Commissionis in Plenaria adunatione mense maii 1977 contrarium fuerit decisum.*

Ad can. 1283

1. Supprimatur interdictum ut censura quia minima est differentia inter excommunicationem et interdictum, cum etiam interdictum locale suppressum fuerit (Card. Philippe et Exc. Stewart).

2. Adhibeatur verbum diversum ab interdicto si retineri debeat ille poenae gradus nam usus verbi « interdicti » sensu diverso ab illo quem in litteratura canonica habuit causa est magnae confusionis (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *In Schemate retinetur interdictum personale, fere iisdem cum effectibus ac in Codice vigente (cfr. can. 2275 C.I.C.) et verum non probatur quod eosdem habeat effectus ac excommunicatio. Tantum effectus excommunicationis quae sub nn. 1 et 2 paragraphi primae can. 1282 (exclusis ergo n. 3 et § 2) recolentur.*

Suppressum fuit « interdictum locale », sed interdictum quod manet eundem habet sensum ac interdictum personale C.I.C.

Ad can. 1286

1. Supprimatur secunda pars canonis. Nam si sustinetur quod censura latae sententiae, quae vetat celebrationem Sacramentorum, quandam declarata non sit, suspendi possit quoties fideles, etiam extra mortis periculum, petant Sacramenta ex qualibet iusta causa, sequeretur quod sacerdos civili matrimonio iunctus, possit, si requiritur, exercere functiones sacerdotales (Card. Šeper).

2. Loco « quoties id necessarium sit », dicatur « si necessitas urget » (Card. Palazzini).

R. *Ad 1. Secunda pars quae improbatur invenitur iam in vigente legislatione, quam Schema fideliter reproducit (cfr. can. 2261 § 2, can. 2264 et can. 2284 C.I.C.). Ergo damnum quod timetur iam praesentari potest sub actuali legislatione.*

Ad illud tamen vitandum sufficit ut censura declaretur.

Ad 2. Si datur periculum mortis (« ad consulendum fidelibus in mortis periculo »), iam urget necessitas, ergo modificatio proposita non est necessaria.

Ad can. 1287, § 1, n. 3

Ut poena efficax sit, prohibitio de qua in n. 3 infligatur « sub poena nullitatis » (Card. Siri).

R. *Si quis nullitatem desiderat aut necessariam iudicat, applicet poenas sub n. 2, i. e. adimat potestatem.*

Sanctio « nullitatis » fere semper non in damnum vertitur ministri sed fidelium. Caute enim porcedendum est.

Ad can. 1287, § 1, n. 4

Non patet quando translatio poenalis ab uno ad alium officium considerata sit tamquam poena expiatoria (Card. Palazzini).

R. *Consideratur ut poena expiatoria, si translatio imponitur in poenam delicti commissi.*

Ad can. 1290

1. Post verbum « muneribus » inseratur locutio « missionibus canonicis » ad vitandum quod clericus professor S. Theologiae, qui poena dimissionis e statu clericali mulctatus fuerit, contendat suum munus docendi in Seminario vel Facultate theologica ulterius exercere (Card. Bafle).

2. Supprimantur verba « firmo praescripto can. 126 », ad vitandam quod aliquis incautus loci Ordinarius putet in citatis verbis « firmo praescripto can. 126 » insinuari veniam committendi clerico ut supra dimisso unum ex muneribus iudiciariis quae etiam laico committi possunt, uti munera iudicis, promotoris iustitiae, etc. quod non licet attentis conditionibus pro his muneribus in cc. 1373 § 2; 1376; 1387 requisitis » (Card. Bafle).

R. Ad 1. *Additio proposita non est necessaria, nam facultas docendi S. Theologiam venit sub verbo « muneribus » (cfr. can. 765).*

Ad 2. *Corrigatur: « firmo praescripto can. 266 ». Erat mendum typographicum.*

Ad can. 1291, § 1

Sit textus: « Moneatur, adductis tamen motivis in quibus monitio ipsa fundatur atque facultate sese defendendi accusato detur » (Card. Palazzini).

R. *Non est necessarium, nam monitio non potest consistere sine indicatione motivorum.*

Ad can. 1300

1. Norma in se ipsa est contradictoria. Etenim, quomodo potest Ordinarius eum qui ab accusatione absolvitur, et exinde *innocens declaratur*, poenalibus mediis eius utilitati et bono publico consulere? (Card. Palazzini).

2. Proponitur ut initio paragraphi loco verbi « cum » ponatur « etiamsi », quia secus videretur adesse aliqua contradictio (Card. Baffie).

R. *Ad 1. Norma non est contradictoria, nam reus non semper absolvitur quia innocens (cfr. v. gr. cann. 1296 et 1297).*

Ad 2. Non est necessarium nec ulla videtur adesse contradictio.

Ob mendum typographicum dicitur « mediis »; dici debet « remediis ».

Ad can. 1304

In periculo mortis concedatur absolutio in foro sacramentali cum onere recurrenti et non tantum suspendatur vetitum, ut sacramenta non recipiantur, manente poena quae eorum receptionem vetat (Card. Siri).

R. *Facultas — amplissima — absolvendi in periculo mortis iam habetur in can. 929. Can. 1304 tamen valde utilis est, in casu quo, quacumque ex causa, absolutio obtineri non possit.*

Ad can. 1305

Appellatio sit in devolutivum tantum, secus poena inefficax evadit (Card. Siri).

R. *Interposita appellatione vel recursu, poena nondum haberi potest iuridice inflicta vel certa, ideoque non expedit ut applicetur, saltem in iure canonico ubi criterium misericordiae et benignitatis praevalet.*

Ad can. 1306

Quid si lex sit divina? Aut quis a lege divina dispensare potest. Melius: « omnes qui a lege poenali dispensare possunt » (Exc. Stewart).

R. *Canon non rite intellectus est. Norma iam adest in C.I.C. (can. 2236) et refertur ad illos « praeter eos qui in cann. 1307-1308 recensentur ».* Quod proponitur admitti non potest (cfr. can. 87).

Ad can. 1306, § 3

Sit textus: « Si Apostolica Sedes poenae remissionem sibi vel aliis reservaverit, reservatio stricte est interpretanda ». Ne videatur Apostolica Sedes peculiari facultate indigere ad hoc ut sibi vel aliis alicuius poenae remissionem reservet (Card. Bafle).

R. *Admittitur.*

Ad can. 1307

Exigatur *approbatio* seu licentia Ordinarii qui poenam irrogavit vel declaravit. Non sufficit ut moneatur (Card. Siri).

R. *Non expedit. Norma esset nimis severa. Censetur sufficiens quod Ordinarius consuletur (non est idem ac « monere », « avvertire »).*

Ad can. 1309

Facultas confessoribus tributa rationem non habet necessariae distinctionis utriusque fori (Card. Carter).

R. *Canon absolute necessarius evasit post supracitam decisionem Patrum Cardinalium in Plenaria 1977. Si excommunicatio prohibet receptionem sacramenti poenitentiae, absolutio in casu urgentiori, non potest negari, etiam si distinctio inter utrumque forum evanescit. Salus animarum suprema lex.*

Notetur tamen quod — ut distinctio pro posse servetur — absolutio restringitur ad censuras latae sententiae non declaratas neque Sedi Apostolicae reservatas.

Attenta animadversione ad can. 1304, opportunum visum est sequentem addere paragraphum:

« § 3. Eodem onere recurrenti tenentur, postquam convaluerint, qui ad normam can. 929 absoluti sunt a censura irrogata vel declarata vel Sedi Apostolicae reservata ».

Ad can. 1316

Card. Ratzinger proponit sequentem novam textus formulationem:

« § 1. Omnis a fide apostata, haereticus vel schismaticus incurrit ipso facto excommunicationem, et, si obtinet aliquod officium ecclesiasticum, ab ipso ad normam can. 191, § 1, n. 2 amovetur.

§ 2. Si diuturna contumacia vel scandali gravitas postulet, aliae poenae addi possunt, non exclusae, si agatur de clerico, dimissione e statu clericali ad normam can. 1287, § 1, n. 5 ». Agitur de fundamentali et ecclesiologice centrali norma iuris poenalis Ecclesiae, non decet proinde — ad formam quod attinet — ut cum clausula « salvo » incipiat. Clausula huiusmodi praeterea non adaequata est, nam excommunicatio non infligitur « salva officii amissione », sed amissio officii ecclesiastici consecrarium est excommunicationis. Censura praeterea debet esse *latae sententiae* nam qui delictum huiusmodi perpetrat, eo ipso iam amplius non est in plena communione Ecclesiae, sive competens Episcopus poenam infligat sive non. Tandem aliquando Ecclesia in discrimen se mittere nequit, eo quod, adimpleta factispecie delicti, Episcopi diverso modo sese gerant.

Secundum Card. Šeper, poena in casu debet esse *latae sententiae*.

R. Poena non potest esse *latae sententiae*. *Poena latae sententiae puniri tantum possunt delicta certa, quae praesertim in facto determinato consistunt, ita ut nullum supersit dubium de eius perpetratione, i. e. de adimplerione factispeciei poenalis, v. gr. abortum (can. 1350), vis physica in Romanum Pontificem vel in Episcopum (can. 1322), etc.*

Accurate distinguere oportet inter realitatem obiectivam quendam extra communionem Ecclesiae esse et sanctionem poenalem ab Ecclesia inflictam. Non omnis baptizatus qui extra communionem Ecclesiae invenitur, est eo ipso excommunicatus. Sufficit cogitare de christianis aliis Ecclesiis aut ecclesialibus communitatibus adscriptis. Nemo hodie dicet illos excommunicatos esse.

Poenae excommunicationis punitur delictum haeresis, apostasiae vel schismatis, sed hoc delictum debet iuridice probari, ut constet non tantum de obiectiva gravitate sed etiam de imputabilitate, quod non semper facile est. In hac complexa materia magna desideratur securitas iuridica quae non habetur nisi iudex vel superior casum omniaque eius adiuncta perpendat et decernat de existentia delicti et consequenter de inflictione poenae. Exigi non potest auto-applicatio poenae (quod est characteristicum in poenis latae sententiae), si incerta est fere semper, etiam pro reo, existentia ipsa delicti.

Ceteroquin, recentiora exempla omnibus nota hoc liquido demonstrant. Ipsa S. Congregatio pro Doctrina Fidei, organum quam maxime competens, per decennium examinavit doctrinam alicuius professoris de haeresi suspecti. Et post sat longum examen (etsi multi autumant agi in casu de vera haeresi), S. Congregatio duos abhinc annos ad sequentem tantum conclusionem pervenit: « Haec S. Congregatio pro munere suo in praesens declarare cogitur Professore Ioannem Küng in suis scriptis ab integra fidei catholicae veritate deficere, ideoque eundem nec uti theologum catholicum haberi neque qua talem munere docendi fungi posse » (Osservatore Romano, d. 18-XII-1979, p. 1). Et Praeses Episcoporum Conferentiae Germaniae declaravit: « Il Professor Küng non è per questo escluso dalla Chiesa e rimane sacerdote » (Ibidem, p. 3). Et hoc sub legislatione vigenti quae haeresim excommunicatione latae sententiae punit.

Cfr. etiam casum Lefebvre in quo multi inveniunt omnia elementa schismatis, sed auctoritas competens numquam hoc verbo usus est, sed tantum locutus est de « inobedientia » et solummodo suspensione punitus est ob illegitimas ordinationes.

Ex istis et aliis casibus eruitur, quod neque schisma neque haeresim punire oportet poenis latae sententiae ex intrinseca difficultate statuendi quandonam revera delicta dentur.

Notetur tamen quod in canone Schematis sufficienter fidei tuitioni providetur, nam poena non est facultativa, sed auctoritas competens obligationem habet ipsam infligendi.

Ad amissionem officii quod attinet, de qua in can. 191, animadvertere licet quod non est consecrarium excommunicationis (cfr. cann. 1282 § 1, 3; 1287, n. 2), sed provisum administrativum omnino independens a poena.

Ut tamen canon non incipiat cum clausula « Firmo ... », ita modificatur: « Apostata a fide, haereticus vel schismaticus excommunicetur, firmo praescripto can. 191, § 1, 2; clericus ... ».

Ad can. 1319

Praeoptatur textus can. 2320 C.I.C. ubi profanatio SS. Eucharistiae punitur excommunicatione latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (Card. Šeper).

SS.ma Eucharistia summum bonum in Ecclesia est; eius profanatio debet proinde saltem aequali poena ac pro delicto contra personam Romani Pontificis mulctari.

R. Reservatio in can. 1322 non est statuta eo quod vis physica in Romanum Pontificem habita sit gravissimum omnium delictum, sed ut vitetur ne, si Romanus Pontifex sit impeditus, qui eum impediat possit ab alio absolvi.

Reservatio insuper non additur in can. 1319, nam in systemate Schematis, absolutio esset quam maxime difficilis eo quod a nemine qui non sit a Romano Pontifice delegatus posset absolvi neque in casu urgenti.

Ad can. 1326

1. Servetur can. 2335 C.I.C., nam can. 1326 non continet explicitam damnationem catholicorum qui ad sectam massonicam adhaerent. Praeterea poena in Schemate comminata insufficiens videtur, nam non est censura ipso facto incurrenda.

Animadversio haec fundatur in conclusione ad quam pervenit Conferentia Episcoporum Germanica post diuturnum dialogum cum massonis et diligentem investigationem, ex qua ostenditur incompatibilitas inter sectam massonicam et Ecclesiam catholicam, seu:

a) valor obiectivus veritatis negatur (cfr. doc. massonicum « Tesi fino all'anno 2000 »);

b) negatur explicite religio revelata;

c) negantur dogmata religionis quia sunt, iuxta ipsos, contraria libertati;

d) essentia massoneriae est relativismus et subiectivismus, ergo negatur obiectiva veritatis cognitio;

e) negatur existentia Dei ut Ens personale qui hominibus se ipsum revelat;

f) ius et officium est Ecclesiae indicare fidelibus quod fidei funestum sit (Cardd. Palazzini, Ratzinger, Šeper, Oddi et Siri).

2. Sequentem textum proponit Card. Oddi: « Qui nomen dant sectae massonicae aliisque consociationibus quae contra Ecclesiam machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae reservatam ».

R. *Haec quaestio devolvitur ad Plenariam. Attamen, consultores unanimiter censent in casu poenam latae sententiae comminandam non esse.*

Nam incompatibilitas cum fide catholica vel incidit in haeresim et tunc cadit sub can. 1316 vel non, et tunc non meretur tali gravissima poena.

Ad practicam activitatem (machinationem) quod attinet, notetur quod massoneria non eadem est in omnibus nationibus; melius ergo esset ut leges particulares iuxta particularia adiuncta propriam legislationem poenalem ferant. Quidquid sit, amplius machinatur et Ecclesiae inferior est communismus sed nemo proponit excommunicationem in communistas. Cur?

In genere facilis recursus ad poenas latae sententiae numquam solvit difficultates et indicat quandam incapacitatem proprium munus gubernationis adimplendi.

3. Puniatur pertinax inoboedientia erga Romanum Pontificem aut proprium Ordinarium, vel qui fideles incitat ad inoboedientiam (Card. Siri).

R. *Haec omnia iam habentur in cann. 1323, n. 2 et 1325.*

Ad can. 1330, § 2, n. 1

Loco verborum « liturgicam Eucharistici Sacrificii actionem *ponit* » dicatur « liturgicam Eucharistici Sacrificii actionem *simulat* » vel « liturgicam Eucharistici Sacrificii actionem *attentat* », quia « ad ordinem sacerdotalem non promotus » non valet « liturgicam Eucharistici Sacrificii actionem » *ponere* (Card. Bafle).

R. *Admittitur et dicatur: « attentat ».*

Ad can. 1340

Ad conscientiae tranquillitatem dicatur: « *plene conscius sigillum directe violat* » (Card. Siri).

R. *Non est necessarium; subintellegitur quia agitur de delicto: « Poena lege vel praecepto statuta is tenetur, qui legem vel praeceptum deliberate violavit »* (can. 1272, § 2).

Ad can. 1342, §§ 2-3

Non sufficit quod calumniatores iusta poena puniantur; addi debet quod ipsi etiam damna materialia et moralia resarcire tenentur (Card. Palladini).

R. *Iam provisum in § 3* (cfr. insuper can. 125).

Ad can. 1346

Servetur can. 2388 C.I.C., nam

a) in novo textu nihil dicitur de complice nec de professis votorum solemnium qui inclusi erant in vetere canone;

b) securior erat praecedens dispositio de excommunicatione. Canon confuse loquitur de « suspensione », nihil determinando de ambitu suspensionis (Card. Šeper).

R. *Maneat poena suspensionis. Ambitus poenae sufficienter determinatur in can. 1285, § 2 (« omnes effectus, qui in can. 1284 recensentur, habet »). Ad complicem quod attinet cfr. can. 1280.*

Coetus tamen opportunum censet aliquid dicere de religiosis a votis perpetuis et confecit sequentem § 2: « Religiosus a votis perpetuis, qui non sit clericus, matrimonium etiam civiliter tantum attentans in interdictum latae sententiae incurrit, firmo praescripto can. 620 ».

Ad can. 1350

1. Conservanda est poena excommunicationis quamvis in nova legislatione interdictum fere idem sit ac excommunicatio, nam mutatio vocabuli hodiernis temporibus quibus crimen abortus in toto mundo

semper maiores dimensiones assumit, minime opportuna videretur (Cardd. Šeper et Rugambwa; Exc. Henríquez).

2. Iuxta Card. Rugambwa retineri debet ad litteram can. 2350, § 1 C.I.C.

R. *Admittitur. Canon ita modificatur: « Qui abortum procurat, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae incurrit ».*

Ad can. 1351

1. Sit textus: « Cum canones in hac parte contenti quaedam tantum delicta recenseant atque sanctione muniant, evenire potest ut aliae non minus graves legis violationes committantur, quae sanctionem omnino postulent. Hoc in casu nulla poena irrogari poterit, nisi specialis violationis gravitas revera punitionem postulet et necessitas urgeat scandala praeveniendi vel reparandi ». *Ratio*: textus Schematis ansam praebere potest malevolis iudiciis quia in fere omnibus codicibus poenalibus nostri temporis recepta est regula « nulla poena sine lege », quae praesupponit exhaustivam descriptionem omnium et singulorum delictorum, quae legislator punire intendit, necnon comminationem poenae pro singulis delictis. In textu proposito omissa est mentio de « paenitentia », de qua mentio fit in can. 1351. *Ratio huius omissionis*: paenitentia infligi potest vi canonum 1292 et 1300 (Card. Bafle).

2. Addatur: « *gravissima* necessitas », ut indolis exceptionalis huius sanctionis eluceat; addatur etiam: « quae omnia in casu non sunt poenae propriae dictae sed solummodo media disciplinaria » (cfr. can. 2222, § 2, in fine), quia secus Schema sine necessitate durius Codici vigente evadit (Card. König).

R. *Textus manere debet uti iacet, eo vel magis quod iam in Plenaria a. 1977 approbatus est. De cetero, quae addenda proponitur, superflua omnino sunt.*

LIBER VII DE PROCESSIBUS

Animadversiones generales

1. Valde exoptatur unificatio iuris processualis, quod vim habeat pro universa Ecclesia, abrogatis facultatibus ultimis hisce decenniis nonnullis Ecclesiis particularibus latini ritus concessis (Card. Palazzini).

2. In Schemate perplurimae inveniuntur normae processuales, ex codice civili italico vel ex codicibus sic dictis anglosassonicis desumptae, quae normae processui canonico, cui convenit maxima prudentia, discretio (vulgo « segretezza ») vix aptari possunt (Card. Palazzini).

R. *Videbitur singulis in locis.*

Ad titulum

1. Forte praeferendus videtur titulus prioris Schematis « De modo procedendi pro tutela iurium »; difficile enim recursus hierarchicus, etc. inter processus adnumerari potest (Card. König).

R. *Titulus praecedens mutatus fuit, rogantibus pluribus Organis consultationis.*

2. *Procedura administrativa* locum invenire debet extra librum *De Processibus - De Iudiciis*. Habet enim characterem diversum et aliis normis regitur (Card. Willebrands).

R. *Consulto adhibitum est titulus De Processibus (modus procedendi), sub quo optime venit etiam Procedura administrativa.*

Ad can. 1354

Clausula « salvis normis tribunalium Apostolicae Sedis » defectum denotat huius legis universalis, quae processum contentiosum, uti exem-

plar assumit et explanat, quin rationem sufficientem habeat diversorum adiunctorum socialium et culturalium. Exinde necessitas normarum specialium pro tribunalibus Sanctae Sedis.

Melius esset econtra processum matrimonialem uti exemplar assumere (quia magis usitatum) et sufficiens spatium diversis culturis agnoscere.

Quidquid sit, si hoc non potest admitti, omnes processus speciales, etiam normae de quibus in hoc canone, includi in Codicem debent et publicari una cum eo (Exc. Bernardin).

R. Prima quaestio amplissime a consultoribus disceptata est et, omnibus accurate perpensis, melius visum est hanc ordinationem systematicam retinere, eo vel magis quod scientifice primum de eo quod generale est agere oportet et deinde de specialibus. Processus matrimonialis, etsi usitatissimus, non potest uti genus assumi, quia alii processus, qui, etsi pauci, semper dantur, sub illo suum locum invenire nequeunt. Ad rationem practicam quod attinet, haud difficile est normativam totius processus matrimonialis e canonibus Codicis eruere.

Publicatio denique normarum specialium pro tribunalibus Sanctae Sedis quae postulatur, quaestio est ordinis practici et non pertinet ad Codicem. Editores et commentatores hoc facere possunt.

Ad can. 1357, § 1, n. 2

Supprimatur, quia anachronisticus. Patriarchae enim titulus mere honorificus est (cfr. can. 310) et de Episcopis sufficienter provisum est in § 1, n. 3 et in § 3 (Card. Florit).

R. Admittitur tantum ad suppressionem mentionis « Patriarchae » quod attinet, eo quod Codex unam tantum Ecclesiam latinam respiciat.

Ad cann. 1360-1365

Colligantur in unum canonem, et introducatur novum forum, scil. forum « mutui consensus » partium et Ordinariorum locorum (Card. Parecatil).

R. Admitti nequit, siquidem duceret ad liberam electionem iudicis quod incongruum est in iure processuali. Alia ex parte iam sufficienter

provisum est per forum partis conventae et, quibusdam in adiunctis, per forum actoris in causis matrimonialibus (cfr. can. 1625, n. 3).

Ad can. 1368

Ad § 1: Si controversia componi potest studio et dialogo inter ipsos iudices non est deferenda tribunali appellationis. Proponitur sequens textus: « Si... controversia quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit dirimi non potest, res definienda est a tribunali appellationis ».

Ad § 2: Haec paragraphus ignorat principium subsidiariorum et competentiam tribunalium appellationis ad definiendas quaestiones de competentia. Proponitur: « Quod si distinctis tribunalibus appellationis subsint iudices consensu communi rem submittant uno vel alio tribunali appellationis ad controversiam definiendam » (Exc. Bernardin).

R. Ad § 1: Canon nullo modo prohibet quod res dirimatur inter ipsos iudices per profundiores investigationes iuridicas.

Ad § 2: Non potest admitti, nam deest necessaria iurisdictio quae a tribunalibus inferioribus dari nequit.

Canon tamen a consultoribus simpliciori forma redigitur, et ita sonat: « Conflictus competentiae inter tribunaia eidem tribunali appellationis subiecta, ab hoc tribunali solvuntur; a Signatura Apostolica, si eidem tribunali appellationis non subsunt ».

Ad can. 1373, § 2

1. Placet admissio laicorum (Card. Marty), sed non placet exclusio mulieris ab hoc munere. Agitur de iniusta discriminatione, rationibus obiectivis non innixa (Cardd. Suenens, Freeman, Carter; Excc. Bernardin et O'Connell).

2. Supprimatur, quia admissio laicorum in exercitium « potestatis sacrae » violationem principii theologici fundamentalis (scil. quod potestas sacra originem habet sacramentalem) significat. Nulla cogens ratio ex admissione iam facta in M. P. *Causas matrimoniales* desumi potest neque rationes a Pontificia Commissione adductae serium habent fundamentum. Concilium Vat. II cum doctrina classica a Schmalzgrueber proposita plene concordat: « ... at vero iudicare in causa spiritali, seu ec-

clesiastica est actus iurisdictionis spiritualis cuius laicus non capax est, etiam adiuncto ei coniudice ecclesiastico » (*Ius ecclesiasticum universum*, tom. I, pars altera, Romae 1844, p. 175) (Cardd. Ratzinger et Hume).

R. *Coetus consultorum unanimiter censet quod praescriptum M. P. Causas matrimoniales in canone receptum quoad admissionem laicorum in collegio iudicum manere debet. Animadversio supponit principium quod nullo modo demonstratum est, scil. quod Concilium Vaticanum II omnino docuit originem sacramentalem totius potestatis regiminis ac proinde exclusio absoluta laicorum a participatione in munere regendi.*

Citatio praeterea Schmalzgrueber non reproducit fideliter mentem cl.mi Auctoris.

In ipso loco, in responsione ad quaestionem « Utrum laici delegari possint ad causas ecclesiasticas et spirituales ut... matrimoniales, beneficiales etc. » scribit: « ... dicendum laicos ad causas spirituales et ecclesiasticas, etiam cum Clericis de iure delegari non posse. Ita communis cum Hostiensi ... Addidi de iure non posse; nam Pontifex, qui est supra omne ius ecclesiasticum, ex certa scientia et Papalis potestatis plenitudine laico committere etiam causarum universitatem potest, non tantum temporalium, quae inter Clericos intercedunt, sed etiam spiritualium qualiumcumque, ut cum communi notat Hostiensis... » (sequitur postea textus in animadversionibus citatus).

Ut clare patet in textu, incapacitas haec laicorum provenit tantum ex iure ecclesiastico. Hoc clarius exprimitur in textu sequenti:

« Dub. 6. An laicus iure delegato possit de causis spiritualibus cognoscere?

Respond. distinguendo: potest ex delegatione Summi Pontificis non vero ex delegatione alterius Praelati ecclesiastici... ».

Pars 1^a patet ex plenitudine potestatis, quam universalissimam Papa habet, ut per se vel per alios cognoscat de omni causa spirituali, modo illi, per quos cognoscit, non sint iure divino inhabiles. Atqui laicus non est iure divino inhabilis ad cognoscenda spiritualia, si id agat, non proprio sed alieno nomine. Igitur per illos, tamquam delegatos suos potest ea Papa cognoscere et iudicare.

Pars 2^a constat ex eo quod Episcopus vel alius Papa inferior nequit id, quod iure superiori constitutum est abrogare... » (Schmalzgrueber, L. II, tit. 1, n. 56).

Ad can. 1373, § 3

Dicatur « ... doctores vel licentiati vel saltem in eadem disciplina *sufficienter* periti » (Card. König); « saltem *vere* periti » (Card. Florit), vel ceteroquin periti (Exc. Bernardin), quia difficillime omnibus in regionibus doctores vel licentiati numero sufficientes inveniuntur.

R. *Non admittitur. Dignitas et ipsa efficacia officii iudicandi postulant quod iudex ius canonicum bene calleat ideoque quod seriis studiis iuridicis operam det. Secus gressus ex « vere » peritus ad imperitum facillime datur. Si tamen absolute impossibile sit licentiatos invenire, recurratur ad Signaturam Apostolicam.*

Ad can. 1375, § 1

Loco « *ipsi Episcopi concordēs* » dicatur: « *in quo casu gremium Episcoporum dioecesanorum quorum interest* vel Episcopus ab eisdem designatus... », nam difficile et haud opportune exigeretur « *unanimitas* » pro omnibus actibus. Sufficit maioritas, ut fit in can. 1392, § 3 pro tribunalibus secundae instantiae (Card. König).

R. *Loco « ipsi Episcopi concordēs » dicatur: « Episcoporum coetus ».*

Ad can. 1377, § 1, 1, b

Haberi causae de vinculo matrimonii ut contentiosae et proinde exigere pro ipsis tribunal collegiale, significat non considerare realem distinctionem quae datur si partes concordant circa nullitatem vel minus. Etsi adhuc dici potest quod causa manet contentiosa, eo quod defensor vinculi nullitatem impugnat, non potest defensor vinculi simpliciter parti conventae assimilari.

Proponitur sequens textus: « ... *b*) de vinculo matrimonii in quibus sit controversia de nullitate inter partes vel in quibus defensor vinculi tribunale collegiale requirit, firmo praescripto cann. 1638 et 1640 » (Exc. Bernardin).

R. *Exigentia tribunalis collegialis non provenit ex « contentiositate » causae, sed ex ipsa natura causae in qua agitur de vinculo sacramentali, quod res est magni momenti, ad bonum publicum pertinens et salutem tangens animarum. Non oportet proinde ut iudicio unius iudicis relinquatur.*

Notetur insuper quod sola contentiositas non exigit tribunal collegiale, ut patet ex ipso canone.

Animadvertere denique liceat quod in animadversione erronee sumitur vocabulum « contentiosum » sensu vulgari rei controversae, dum econtra in iure et a canonistis sumi debet sensu tecnico de quo in can. 1552, § 2 C.I.C.: « Obiectum iudicii sunt: 1° ... vel earundem personarum facta iuridica declaranda; et tunc iudicium est contentiosum; ».

Ad can. 1377, § 4

1. Fortasse excipere ab hac facultate oportet causas de vinculo sacrae ordinationis et causas criminales, quae amissionem status clericalis secumferre possunt. Addatur proinde: « salvo praescripto can. 1377, § 1, 1, a) et 2, a) » (Card. König).

R. *Non admittitur. Illae enim causae maius non habent momentum quam causae matrimoniales.*

2. Supprimatur « in singulis casibus ». Si alicubi abusus hac in re irrepserunt, auctoritatis competentis est hos abusus corrigere, sed lex generalis non debet concipi et configurari in ordine ad abusus tollendos (Card. Freeman, Exc. O'Connell).

R. *Ut clarius pateat mens canonis, ita modificatur: § 4. In primo iudicii gradu, si forte collegium constitui nequit, Episcoporum Conferentia, quamdiu huiusmodi impossibilitas perduret, permittere potest ut Episcopus causas iudici unico clerico committat... ».*

Ad can. 1378

Determinandi sunt actus qui de validitate a collegio toto iudicium ferri debent (Card. Parecattil).

R. *Provisum est singulis in locis.*

Ad can. 1387

1. Addatur: « saltem vere periti » (Card. König).

R. *Non expedit* (cfr. responsionem ad can. 1373, § 3).

2. Munus « Defensoris vinculi » et « Promotoris Iustitiae » nunquam laicis committatur (Card. Palazzini).

R. *Non videtur qua de causa, nam munus huiusmodi nullum secumfert exercitium potestatis regiminis.*

Ad can. 1389

1. Laudatur canon (Exc. Bernardin).

2. Duplex exigatur subscriptio: notarii *et* iudicis (Card. Florit). Semper exigatur praesentiam notarii (Card. Parecattil).

R. *Supprimatur « vel saltem a iudice ».*

Ad can. 1392

Non videtur qua de causa intervenire debeat Episcoporum Conferentia pro constitutione tribunalis secundae instantiae si, iuxta can. 1375, non intervenit pro constitutione tribunalis primae instantiae (Card. Marty).

R. *Ratio est quia derogatur iuri Metropolitanae* (cfr. can. 1391).

Ad can. 1393

Can. 41 praecedentis Schematis fidelius servabat « canonicam traditionem » (cfr. can. 1596 C.I.C.). Ratio allata a coetu « quo altior est gradus iudicii, maior est numerus iudicum » petitionem principii sapit et ignoscit naturam decreti ratihabitionis. Supprimatur proinde ultima pars canonis: « Si tamen... » usque ad finem (Exc. Bernardin).

R. *Abusus in concessione de qua in can. 1377, § 4 et levitas cum qua, quibusdam in locis, iudices unci nullitatem matrimonii declarant, necessariam reddunt exigentiam tribunalis collegialis in gradu appellationis, ita ut saltem maior possibilitas detur per collegiale examen errores iudicis unci corrigendi.*

Ad can. 1396

Proponitur ut § 1, 2 ita corrigatur: « ... in tertia vel ulteriori instantia *ad normam iuris* causas ab ipsa Rota Romana... » ut pateat quod

Rota tantum per legitimam appellationem causas cognoscere potest (Exc. Bernardin).

R. *Additio superflua. Sufficit considerare naturam ipsam Rotae Romanae, quae est tribunal « appellationibus recipiendis »* (can. 1395).

Ad can. 1397

1. Card. Bafle proponit ut canon hoc modo redigatur:

§ 1: Invariata.

§ 2: Idem Tribunal videt, ad normam can. 1691, n. 2, in secundo vel tertio gradu de appellationibus adversus sententias latas a tribunalibus administrativis primi vel secundi gradus.

§ 3. Videt praeterea de recursibus productis, propter legis violationem in procedendo vel in decernendo vel propter motiva non recte adhibita (cfr. can. 1702), adversus decreta lata vel adprobata *vel recognita* a Sanctae Sedis Dicasteriis, necnon de controversiis administrativis quae a Romano Pontifice vel a Romanae Curiae Dicasteriis ipsi deferantur et de conflictu competentiae inter eadem Dicasteria.

Additur « *vel recognita* » ut includatur possibilitas recurrendi adversus decreta lata ab Episcoporum Conferentiis, quae recognita esse debent ab Apostolica Sede. Etenim, evenire potest ut decretum a Conferentia Episcoporum, servatis quidem servandis (scil. ad normam can. 330), feratur, quod tamen aliquis Episcopus dioecesanus contrarium existimet bono spirituali christifidelium suae pastoralis sollicitudini commissorum, immo fortasse illegitimum, quatenus non servans praescripta iuris universalis Ecclesiae. Si hoc eveniat Episcopus nullum aliud habet remedium praeterquam recursum qui semper patet ad Apostolicam Sedem, quique, vero, hoc in casu minimam offerret possibilitatem felicitis exitus (!) cum omnia praescripta can. 330 servata fuerint.

R. *Non admittitur. Competentia Sectionis alterae Signaturae Apostolicae manere debet restricta ad ambitum administrativum nec oportet illam extendi ad iudicandum de validitate legum, pro quibus semper patet — et valde sufficiens — recursus hierarchicus. Quod autem attinet ad reliquam competentiam, satis videtur normam generalem hic proferre et cetera ad alios canones ubi de procedura administrativa et ad speciales leges de Romana Curia vel de ipsa Signatura remittere.*

2. Ad § 3 addatur n. 4: « Episcopis quorum interest proponentibus alicui tribunali extra Urbem, si Ordinarius huius tribunalis consentit, indolem tribunalis tertiae instantiae (pro Episcopis proponentibus) attribuire » — quia de facto iam existunt, vi specialis concessionis, huiusmodi tribunaia tertiae instantiae extra Urbem, v. gr. Monaci, Friburgi i.Br., Coloniae, etc. — Patet quod integrum manet ius Sanctae Sedis, etiam sine petitione de qua in n. 4, huiusmodi tribunaia constituendi (Card. König).

R. *Non expedit. Agitur de exceptione de qua non est in lege universali cavendum.*

3. Quaedam confusio datur inter erectionem et constitutionem. Si Conferentiis spectat constitutionem tribunalium, quomodo ipsa erigit Signatura Apostolica? (Exc. Bernardin).

R. *Animadversio aliquod fundamentum habet. Signatura Apostolica per se non erigit tribunaia, neque in casu can. 1375; tantum approbat erectionem seu constitutionem. Ut res clarius pateat, canon ita corrigitur:*

« § 3, 3: « promovet et approbat erectionem... ».

Consequenter, modificatur etiam can. 1392:

§ 1. « *Episcoporum conferentia debet tribunal secundae instantiae, probante Sede Apostolica, constituere... ».*

§ 2. « *Episcoporum Conferentiae potest, probante Sede Apostolica, unum vel plura tribunaia secundae instantiae constituere... ».*

Ad can. 1400, § 1

Dicatur: « usque ad sextum gradum lineae collateralis, salva diversa norma quae a Conferentia Episcopali statuatur », ad melius tuendam Tribunalis impartialitatem (Card. Bafle).

R. *Videtur nimis exigere, et aliunde iam sufficienter provisum in ipso canone per clausulam « ratione ... intimae vitae consuetudinis ».*

Ad can. 1407, § 2

Addatur « *firmis praescriptis can 1561, § 4* » ut non detur contradictio inter secretum officii ad quod tenentur iudices (§ 2) et facultas illis concessa in can. 1561, § 4 (Exc. Bernardin).

R. *Admittitur: addatur « firmo praescripto can. 1561, § 4 ».*

Ad can. 1409

Ex officio: *Ut frequentes abusus hac in re efficacius corrigantur, unanimiter proponunt consultores ut, loco clausula « vel qui temere se competentes declarent », dicatur clarius: « vel qui nullo suffragante iuris praescripto se competentes declarent atque causas cognoscant ac definiant ».*

Ad can. 1412, § 2

Videtur excessivum admittere « querela nullitatis et restitutio in integrum ». Supprimatur ergo clausula haec (quod significat redire ad can. 1610, § 2 C.I.C.) (Exc. Bernardin).

R. *Suppressio nihil facit, quia remedia iuris non prohibentur etiam suppressa clausula, sicuti non prohibebantur in iure Codicis, non obstante silentio canonis 1610, § 2 C.I.C.*

Ad can. 1424

Quod acta iudicialia scripto redigantur haberi potest ut principium generale, sed oportet simul agnoscere usum aliorum mediorum, quos progressus electronicus offert et qui tam tuti sunt ac scriptura ipsa (Exc. Bernardin).

R. *Provisum in can. 1519.*

Ad can. 1433, § 3

Supprimatur: « exceptis causis matrimonialibus », ad ius partis defensore carentis melius tuendum (Card. Bafle).

R. *Non admittitur. Non potest simile onus Ecclesiae imponi. Propositio non habet rationem realis conditionis maioris partis dioecesium praesertim ad capacitatem oeconomicam quod attinet.*

Ad can. 1435

Deleatur incisum « nisi Episcopus dioecesanus aliter admittat », quia non oportet ut non-catholici ad hoc munus admittantur (Cardd. Palazzini et Bafle).

R. *Non admittitur. Eadem norma habetur in Codice vigenti* (cfr. can. 1657 C.I.C.).

Ad can. 1440

Ex officio: *Ut pro posse arceantur et severe corrigantur abusus sat frequentes, consultores proponunt ut addatur sequens § 2:*

« § 2. *Eodem modo puniri possunt advocati et procuratores qui a competentibus tribunalibus causas, in fraudem legis, subtrahunt ut ab aliis favorabilius definiantur.* ».

Ad can. 1445

Loco « reus » dicatur « pars conventa » (Card. Freeman).

R. *Admittitur. Loco « reum » dicatum « aliquem ».* Rogatur tamen ut attendatur ad significationem vocabuli in lingua latina, in qua Codex exaratur.

Ad can. 1457

1. Ad § 2 addatur « aut si omnimodo desit aliqua indicatio, de qua in can. 1456, 2° » ut ratio habeatur praescripti huius canonis 1456, 2°, qui exigit ut in libello indicetur quo iure actor innititur et quibus factibus et probationibus ad evincenda ea quae asseruntur (Card. König).

R. *Admittitur, ideoque in § 2, n. 3 mentio fit etiam de n. 2 canonis 1456.*

2. Ad § 4 addatur « Si tribunal appellationis libellum admittit, causa remittenda est pro eius definitione ad tribunal a quo », claritatis causa (Card. König).

R. *Patet. Non est necesse ut dicatur.*

Ad can. 1458

Admissio libelli « ipso iure » inopportuna videtur modificatio canonis 1710 C.I.C. qui reassumendus est (Exc. Bernardin).

R. *Admissio « ipso iure » — post silentium iudicis per 40 dies protractum, non obstante instantia partis — provisio videtur valde opportuna, quae ex una parte ius fidelis protegit et ex alia tendit ad cursum iustitiae celeriore reddendum.*

Ad can. 1459, § 1

Supprimatur: « statuens... concordanda », ne exinde causae incidentales oriantur (Card. Palazzini).

R. *Non admittitur. Introducta fuit ad proceduram celerius reddendam; omissio crearet insuper ambiguitatem in ipso canone.*

Ad can. 1460, § 1

Libellus litis *non notificetur* parti conventae *una cum decreto citationis* (Cardd. O'Fiaich, Hume, König, Marty, Palazzini; Excc. Bernardin et O'Connell). In nationibus ubi viget systema iuridicum "Common law", ut vocant, hoc fieri non potest sine periculo querelae apud tribunal civile, quae vero gravia consecutaria pro administratione iustitiae in Ecclesia secumfert (Cardd. O'Fiaich, Hume; Exc. O'Connell). Sufficit ut pars conventa generali tantum modo de libelli contentu edoceatur (Card. O'Fiaich). Habetur de hac quaestione decisio Signaturae Apostolicae d. 6-1-1970 (Card. Palazzini).

Quapropter: redeatur ad *can. 144, § 2* praecedentis Schematis « De modo procedendi pro tutela iurium » (Cardd. O'Fiaich et Marty; Exc. Bernardin), vel redigatur hoc modo: « In causis matrimonialibus citationi libellus litis introductorius tantummodo adiungatur si praeses id opportunum censuerit » (Card. König).

Card. Hume et Exc. O'Connell proponunt ut reassumatur *can. 144* praecedentis Schematis.

R. *Admittitur et reassumitur textus canonis 144 praecedentis canonis. En textus:*

« § 1. *Decretum citationis in iudicium debet statim parti conventae notificari, et simul alii, qui comparere debent, notum fieri.*

§ 2. *Citationi libellus litis introductorius adiungatur, nisi iudex propter graves causas censeat libellum significandum non esse parti antequam haec deposuerit in iudicium.*

§ 3. *Uti iacet ».*

Ad can. 1461

Iterum inseratur oportet « *citatio per edictum* » de qua in can. 1720 C.I.C. et 150 prioris Schematis, ad vitandam nullitatem actorum processualium si ignoretur ubi pars citanda commoretur (Card. Primatesta). Fere eodem sensu Exc. Bernardin.

R. *Non necessarium. Remittitur legi particulari (« alio modo quo tutissimus sit, servatis normis lege particulari statutis »).*

Ad can. 1462

Si sub clausula « ... vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat... » non venit citatio edictalis, specificam mentionem eius oportet fieri in Codice (Exc. Bernardin).

R. *Modus citationem faciendi relinquatur determinationi legis particularis, dummodo agatur de modo « quo tutissimus sit » (can. 1461), non excluditur ergo citatio edictalis quae potest in lege particulari praescribi.*

Ad can. 1465, § 3

Notificatio contestationis litis per iudicis decretum superflua est, cum fere semper non differat a libello et a citatione. Proponitur sequens textus: « Si dubium concordandum a dubio in citatione notificato reapse differt, decretum iudicis de litis contestatione partibus notificandum est; quae... ».

R. *Notificatio decreti necessaria est ut partibus iuridice constet de obiecto iudicii, quod in libello non semper clare et exactis verbis et terminis iuridicis praesentatur.*

Ad can. 1472

Terminus peremptionis nimis brevis videtur. Melius esset fortasse ad terminos can. 1736 C.I.C. redire, eo magis, quod lex particularis brevior terminum statuere potest (Card. König).

R. *Non admittitur. Ad peremptionem impediendam, sufficit quilibet actus processualis. Canon praeterea tendit ad lites breviandas, relicta tamen facultate alios terminos per legem particularem statuendi.*

Ad can. 1481

Hic canon, cum exigit « gravem » causam ut probationes ante litis contestationem colligi possint, « canonicam traditionem » mutat. In canone enim 1730 C.I.C. sufficit « iusta causa ». Proponitur igitur ut loco « gravem » dicatur « iustam » (Exc. Bernardin).

R. *Secundum traditionem canonicam rite intellectam quaelibet « iusta » causa non sufficit, ut patet si exempla allata in ipso can. 1730 inspiciantur.*

De cetero, abusus quamplurimi, variis in locis exsurgentes, ubi instructio causae de more fit ante litis contestationem, et quidem ab avvocato, suadent ut canon maneat uti iacet.

Ad can. 1483

Adiungatur: « nisi ex responsione reveletur delictum ab ipsa commissum », quia etiamsi de causa agatur contentiosa, ex responsione partis delictum ab ipsa commissum revelari potest (Card. Parecattil).

R. *Non admittitur. Agitur de processu contentioso (ad criminalem quod attinet, provisum est in can. 1684, § 2), in quo veritas fateri debet. Non raro ipsum delictum obiectum vel saltem elementum fundamentale est processus, v. gr. de impedimento criminis, in causis de refectione damnorum, etc. Ceteroquin pars suffragatur principiis theologiae moralis.*

Ad can. 1485

Etiam Patrono liceat articulos iudici exhibere, qui tamen promotori iustitiae vel defensori vinculi, iuxta causam, submitteendi sunt (Card. Palladini).

R. *Non necessarium in Codice exprimendum. Quod licet parti, licet patrono, nam in iure patronus comprehenditur sub nomine partis.*

Ad can. 1486

Etiam partibus concedatur « tutela secreti officii », ut fit cum de testibus agitur (cfr. can. 1500), quia pars quoque, si v. g. sit medicus vel advocatus, etc., potest suis declarationibus secretum officii, ad quod tenetur, tradere et proinde iura tertii laedere (Card. König).

R. *Admittitur, ideoque addatur: « can. 1500, § 2, 1° ».*

Ad can. 1500, § 2, 1

« Secretum officii » melius protegatur. In can. 1755, § 2 C.I.C. statuitur quod hi qui ad secretum officii tenentur, ab obligatione (respondendi et *veritatem fatendi* cfr. § 1) eximuntur. Recte vero, nam etiam simplex non-responsio potest tandem aliquando secretum tradere. In Shemate e contra dicitur tantummodo « ab obligatione respondendi eximuntur » (Card. König).

R. *Locutio « respondendi » sufficit, nam sumitur sensu lato.*

Ad can. 1503

Retinendus videtur can. 1759, §§ 1, 2 et 3 C.I.C., quo statuitur a quibus testes inducantur (Card. Parecattil).

R. *Superfluum esset; nulla enim datur limitatio ut patet ex can. 1479, § 1.*

Ad can. 1510, § 3

Remissio fiat etiam ad can. 1421, § 2 (Exc. Bernardin).

R. *Admittitur; quapropter in fine dicatur: « firmis praescriptis cann. 1370 et 1421, § 2 ».*

Ad can. 1511

« Publicitas » processus restricta quidem permanere debet, sed non relate ad partes, nisi iudex aliud censeat vel nisi aliud dicatur (ut in processu matrimoniali). Permittere igitur oportet ut partes interrogatoriis assistant (Card. Parecattil).

R. Sufficit quod in canone dicitur. Praesentia partis in omnibus interrogatoriis aliquo modo libertatem testis coarctat.

Ad can. 1518

Canon superfluous et ad nimia particularia descendit, quae potius relinquenda sunt discretioni iudicis (Exc. Bernardin).

R. Canon « traditioni canonicae » respondet, utpote repetitio ad litteram can. 1777 C.I.C.

Ad evitandos comprobatos et deploratos abusos, iuxta quos testes non interrogantur a iudice sed depositiones scriptas, ab avvocato redactas, iudici mittunt, canonem servare oportet.

Ad can. 1519

Non exigatur modo absoluto transcriptio responsionum. Proponitur sequens textus: « § 2. Admitti potest usus machinae magnetophonicae ex qua responsiones, *ubi necesse vel utile videtur*, consignentur et subscribantur a deponentibus » (Exc. Bernardin).

R. Transcriptio responsionum necessaria videtur ut iuridice constet de depositione in ordine ad examen causae etiam in gradu appellationis et in genere cum dubium aliquod exurgat de substantia ipsa depositionis. Incisio magnetophonica facile falsificare potest, ideoque in iure fidem non facit.

Attamen, opportunum videtur addere clausulam « si fieri potest » post verbum « subscribantur », quia non semper possibile est quod testes, donec transcriptio facta sit, expectent.

Ad can. 1521, § 1

Potius quam exigere quod testi legatur depositio, sufficit dicere quod ius habet eam mutandi vel corrigendi. Proponitur textus: « § 1. In fine

examinis testis eidem detur facultas addendi, supprimendi, corrigendi et variandi testimonium » (Exc. Bernardin).

R. *Ius de quo in canone et in propositione sensum non habet nisi testis sciat quid notarius de eius depositione transcripserit, quod postulat lecturam depositionis. Maneat igitur textus uti est. Attamen, ut ratio habeatur etiam modificationis in can. 1519, § 2 introductae, addere oportet sequentem clausulam post verbum « redegit »: « vel ipsi audita facere quae ope magnetophonii de eius depositione incisa sunt ».*

Ad can. 1545, § 2

Praescriptum canonis nimis favet absenti (qui non amplius contumax vocatur et habetur) et cui non potest concedi ius impugnandi sententiam nisi probet se iusto impedimento fuisse detentum. Proponitur textus: « § 2. Etsi non comparuerit ante causae definitionem, impugnationibus uti potest adversus sententiam, querela nullitatis inclusa, dummodo probet se legitimo impedimento fuisse detentum, quod sine sua culpa antea demonstrare non potuerit » (Exc. Bernardin).

R. *Propositio admitti nequit; agitur enim de iure defensionis quo pars conventa, etsi absens, privari non potest. Codex vigens (can. 1487) practice idem concedebat mediante restitutione in integrum ad appellandum.*

Ad can. 1549

Retineantur canones de attentatis lite pendente. Notio attentati sine ulla restrictione extensa retineatur non tantummodo ad innovationes circa materiam litis sed etiam circa processualia iura (Card. Parecattil).

R. *Non expedit. Canones de attentatis lite pendente suppressi sunt, rogantibus pluribus Organis consultationis, iuxta criterium simplificationis. Attentati — quod de cetero nihil aliud sunt nisi casus peculiares causae incidentis — restringuntur ad innovationes circa materiam litis et circa terminos iudiciales et substantia inseritur in cann. 1417, § 2, et 1466.*

Ad can. 1550, § 1

1. Difficultates moventur contra licentiam generalem partibus factam acta processus inspiciendi, quia adest periculum ne pars, quae se laesam putet, querelam diffamationis apud tribunal civile instituat, cum gravissimis consecrariis, pro iudice, testibus, aliave parte, immo pro universa iustitia ecclesiastica. Temperamentum in ultima parte paragraphi propositum minime sufficit (Cardd. Hume, Freeman, O'Fiaich, Bafile, Carter et Excc. Bernardin et O'Connell).

Card. Hume et Exc. O'Connell proponunt « Acquisitis probationibus, iudex decreto partibus et earum advocatis permittere debet, sub poena nullitatis, ut de actibus nondum eis notis apud Cancellariam tribunalis saltem ad illorum generalem sensum edoceantur; quin etiam advocatis id petentibus dari potest actorum exemplar, partibus nonnisi ad eundem generalem sensum communicandum, nisi in causis ad bonum publicum spectantibus iudex ad gravissima pericula evitanda aliquod actum nemini tradendum esse censeat ».

2. Card. Bafile proponit ut addatur: « Praeterea actum vel documentum, quod asseverationes aptas ad famam alicuius personae laedendam continet, non in originali ostendatur sed tantum in exemplari, in quo nomen asseverantis et notitiae quae eum identificari sinant reticeantur ».

Card. Carter et Exc. Bernardin petunt ut supprimatur clausula « sub poena nullitatis », quia numerosas gignit difficultates et ad traditionem canonicam non pertinet.

R. Admitti nequit. Canon sufficienter providit ultima clausula.

Alia ex parte non potest regula generali hoc ius, quod intime connectitur cum iure defensionis, negari. Notetur praeterea quod in canone optime distinguitur inter partes et advocatos, quibus tantum licet — non autem partibus — exemplar petere.

Notetur insuper quod rigidior norma habetur in Codice vigenti (cfr. cann. 1858 et 1859 C.I.C.).

Ad can. 1567

Agnoscat etiam possibilitas publicandi sententiam transmittendo advocatis exemplar eiusdem, qui melius explanationes in iure et in facto intelligere possunt.

R. *Non expedit. Ius praevalens sententiam cognoscendi habent partes, et earum procuratores, qui unum cum parte efficiunt. Partes semper possunt advocatos adire ad dilucidationes opportunas obtinendas.*

Ad can. 1571

Supprimatur clausula « cum essent notae parti querelam proponenti » quia fons esset multarum exceptionum (Exc. Bernardin).

R. *Propositio non admittitur. Haud censeri possunt sanatae si eas pars opponere non valuit quia ignoratae. Consultores unanimiter censent quod sanatio nullitatum de quibus in hoc canone restringere oportet ad causas de bono privato et ideo sequentem clausulam in fine addendam proponunt: « quoties agatur de causa ad privatorum bonum attinenti ».*

Ad can. 1572

1. Inter causas nullitatis insanabilis inseratur n. 1, can 1574, in casibus praesertim in quibus sententia ferenda est a collegio quinque, septem vel novem iudicum, ratione gravitatis aut complexitatis causae (Card. Palazzini).

2. Consultoribus orientalibus non placent nn. 2, 4, 8 utpote obvii; n. 7, ubi « de denegato iure defensionis » sermo est alio modo proponatur. Denegatio huius iuris enim propriam regulam exigere videretur (Card. Parecattil).

R. *Non expedit. In Schemate vitio nullitatis insanabilis laborant illae sententiae quae ita aliquo defectu affectae sint ut non videantur decursu temporis sanari posse. Hoc certe non verificatur in casu proposito eo minus quod facultas tribuitur Conferentiis Episcoporum ab hac lege derogandi (cfr. can. 1377, § 4).*

Notetur insuper quod in Schemate nullibi sermo fit de « collegio quinque, septem vel novem iudicum ».

Ad can. 1582, § 1

Proponitur: « ... a notitia publicationis sententiae, nisi, prudenti iudicis arbitrio, et praesertim in causis implicationibus, longius statuen-

dum sit tempus, ita ut partes mature perpendant utrum appellationem interponere annon », ad vitandas inutiles appellationes (Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Non admittitur. Systema propositum implicatum est et in praeiudicium vertit alterae partis, quae pro se habet sententiam. Si appellatio demum inconsulte facta fuit, pars potest appellationem non proseguere* (cfr. can. 1585).

Ad can. 1601

1. Dicatur de iure pauperum ad gratuitum patrocinium: « Pauperes qui omnino impares sint expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem » (Card. Parecatil).

2. Iterum introducantur cann. 1908-1916 C.I.C. cum sequentibus modificationibus:

a) in can. 1909, § 1, substituantur verba: « Concilii provinciales vel conventus Episcoporum est » per verba: « Episcopi, cuius est tribunal moderari, est pro dioecesi vel regione propria »;

b) addatur in fine novus canon: « Conferentiae episcopalis erit normas edere ad disciplinam in hoc titulo contentam exigentiis locorum melius aptandam ».

Secus habebitur vacuum in legislatione; ex altera parte normae in cann. 1908-1916 contentae apparent plene sapientiae iuridicae, quare non videtur expedire eas abolere antequam aliae meliores edantur (Card. Bafle).

R. *Non est necessarium, nam una ex parte oportet hanc materiam iuri particolari relinquere ut melius locorum adiunctis aptetur; alia ex parte omnia necessaria innuuntur in canone. Ratio de « timendo vacuo legislativo » nullum habet pondus, secus nihil possit relinqui legi particolari.*

Attamen, perspicuitatis causa, § 1, n. 4 ita conficitur: « de damnorum refectione quae debetur ab eo qui, non solum in iudicio succubuit, sed temere litigavit ».

Ad can. 1602, § 2

Supprimatur « idoneis, si casus ferat, praestitis cautionibus » et addatur post punctum: « Iudicis autem erit, si casus ferat, per idoneas cautiones indemnitati alterius partis consulere pro casu quo executio revocanda erit » (cfr. can. 1917, § 2, n. 2 C.I.C.) maioris perspicuitatis causa (Card. Baffle).

R. Non necessarium: substantia sufficienter exprimitur in canone.

Ad can. 1608

1. Vox « oralis » minus propria est, cum in hoc quoque processu, scripta praevalent, etiamsi « oralitas » maior habetur (Card. Parecattil).

R. Agitur de processu secundum principium oralitatis, quod ceteroquin non requiritur ut omnia scripto fiant (cfr. Nicora Attilio, Il principio di oralità nel diritto processuale canonico, Roma, Analecta Gregoriana, 1977, p. 589).

2. Ex officio: *Unanimiter censent consultores ad praescriptum can. 1608 sanctionem invaliditatis addendam esse, et proponunt ut tamquam § 2 eiusdem canonis dicatur: « § 2. Si processus oralis adhibeatur extra casus iure permissos, actus iudiciales sunt nulli ». Ratio: ut abusus praecaveantur.*

Ad can. 1616

Non requiratur quod responsiones summatim redigantur a notario quia hoc nocet fini huius processus, qui est celeritas (Exc. Bernardin).

R. Non potest admitti: agitur de minimo requisito pro appellationis processu.

Ad partem III

1. Proponitur: « Titulus I: *De causis beatificationis et canonizationis* »:

Can. 1622 bis:

§ 1. Causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis unius Sanctae Sedis iudicio reservantur.

§ 2. Modus procedendi in his causis definitur lege peculiari »
(Card. Freeman et Exc. O'Connell).

R. *Non admittitur. Causae beatificationis optimum habent locum inter canones praeliminares. Agitur enim de procedura « sui generis ».*

2. Titulus mutetur in: « *De aliquibus proceduris specialibus* », quia non omnia quae sub hoc titulo veniunt tamquam iudicia considerari possunt, v. g. circa dispensationem super rato et non consummato (Card. König).

R. *Ob mendum typographicum dicitur « De processu criminali ».*

Inscriptio sit: « De quibusdam processibus specialibus ».

Inscriptio Tituli I sit: « De Processibus matrimonialibus ».

Ad can. 1625

1. In casibus de quibus sub 3° et praesertim sub 4° requiratur, ad validitatem consensus Defensoris vinculi tribunalis competentis ratione domicilii partis conventae, ad vitandos abusos de quibus in relatione Praefecti Signaturae Apostolicae in recenti Synodo (Card. Rugambwa).

R. *Iam provisum: requiritur consensus tribunalis.*

2. In n. 3° loco « *eiusdem nationis* », dicatur: « *eiusdem Episcoporum Conferentiae* degat... », quia verbum « *natio* » improprium est, et non semper facile determinatur quid revera sub hoc nomine veniat, v. g. in Oceano Pacifico (Card. Freeman et Hume).

R. *Admittitur.*

3. Normae de foro competenti in melius reformatae sunt, meliores autem adhuc fieri possunt, si omnes limitationes supprimantur (Card. Carter).

Actor eadem habet iura ac pars conventa; forum proinde actoris limitari non debet ad solum domicilium neque ad factum quod utraque pars in territorio eiusdem nationis degat. Si abusos timentur eo quod actor quaerere potest « *laxum tribunal* », facile hi abusos corrigantur si exigitur simul consensus sive tribunalis sive Ordinarii loci partis conventae.

Sequens proponitur textus: « N. 3. Tribunal loci in quo pars actrix domicilium vel quasi domicilium habet, dummodo vicarius iudicialis et Ordinarius loci domicilii vel quasi-domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiant, vel ... etc. » (Exc. Bernardin).

R. *Sat amplum laxamentum factum iam est admissione fori actoris, quod a traditione canonica, a proponente saepius invocata, omnino alienum est (« actor sequitur forum rei », can. 1559, § 3 C.I.C.).*

Non expedit ut nunc extendatur ad quasi-domicilium, quod iuxta Schema facillime acquiritur (sufficit intentio per tres menses alicubi commorandi, can. 101, § 2). Huiusmodi concessio, aucta proposita suppressione exigentiae quod utraque pars in territorio eiusdem nationis degat, portam magnam aperiet innumeris abusibus, qui iam hodie deplorantur, quippe quod plurimi, a callidis et ad fraudem versutis advocatis instructi, causam suam instaurare velint ubi facillime citissimeque indubitata sententiam favorem obtenturi sint, legem detorquentes.

Ad can. 1628

Ex officio: *Ratione uniformitatis terminologicae, loco « vitae communionem » dicatur « coniugalem convictum » (cfr. cann. 1105, 1106, 1107, etc.).*

Ad can. 1629

Ut propositum est relate ad can. 1640, § 1 danda est possibilitas citandi partem conventam sine inclusione libelli. Consequenter, proponitur sequens textus: « § 1. Libello acceptato praeses vel ponens procedat ad normam can. 1460 nisi notificatio libelli fit ad normam can. 1611, § 1 quae effectus habet citationis iudicialis canonis 1464.

§ 2. Transacto termino quindecim dierum a notificatione praeses vel ponens, nisi alterutra pars sessionem ad litem contestandam petierit, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuatur ex officio et, si a formula citationis differt, illam partibus notificet » (Exc. Bernardin).

R. *Attenta modificatione ad can. 1460 introducta, consultores censent quod canon immutari debet uti sequitur:*

« § 1. *Libello acceptato praeses vel ponens procedat ad notificationem decreti citationis ad normam can. 1460* ».

Ceterae §§ manent uti iacent.

Ad can. 1634

1. Cardinalibus Hume, Freeman, O'Fiaich, Carter et Excc. Bernardin et O'Connell non placet procedura in canone proposita circa appellationem in causis matrimonialibus, quia tribunal obligare ad appellandum contra propriam sententiam iuridice absurdum est et contrarium sanae rationi (Card. Hume). Non proponitur totalis suppressio appellationis, nam abusus hic illic exsurgentes necessitatem alicuius normae securitatis liquido demonstrant; appellatio tamen temperari debet, duplici modo: *a)* appellatio relinquatur conscientiae Defensoris vinculi, si in primo gradu tribunal *trium* iudicum sententiam tulit; *b)* si vero tribunal primae instantiae unico constabat iudice, appellatio sit obligatoria, facta tamen facultate Defensori vinculi secundae instantiae ut ab appellatione desistat (Cardd. Hume et O'Fiaich).

Card. Hume sequentes proponit canones:

« *Can. 1634*

§ 1. Intra viginti dies a publicatione sententiae, ab unico tantum iudice prolatae, quae matrimonii nullitatem primum declaraverit, defensor vinculi ad superius tribunal provocare debet.

§ 2. Quodsi quavis ratione id facere negligat, acta transmittantur ex officio, auctoritate iudicis, ad tribunal appellationis, et ad ulteriora procedatur tanquam si appellatio a defensore vinculi proposita sit.

§ 3. Defensor tamen vinculi apud tribunal appellationis, audito Vicario Iudiciali aut iudice ab ipso designato, omnibus perpensis tam de ratione procedendi quam de merito causae, potest pro sua conscientia appellationi de qua in §§ 1 et 2 intra mensem renunciare.

Can. 1634 bis

Intra viginti dies a publicatione sententiae, a collegio iudicum prolatae, quae matrimonii nullitatem primum declaraverit, defensor vinculi ius habet ad superius tribunal pro sua conscientia provocare.

Si sententia pro matrimonii nullitate prolata sit in primo iudicii gradu, tribunal appellationis, perpensis animadversionibus defensoris vinculi et, si quae sint, etiam partium, suo decreto vel decisionem continenter confirmet vel ad ordinarium examen novi gradus causam admittat ».

Card. Freeman proponit § 2: « Si sententia pro matrimonii nullitate prolata sit in primo iudicii gradu, *defensoris vinculi tribunalis appellationis ius et officium est pro sua conscientia decernere utrum appellatio proseguenda sit an non* ».

2. Hic canon valde controversum est et acceptatio totius Codicis in discrimen mittere valet, pluribus in regionibus. Episcopi locorum ubi causae matrimoniales studio submittuntur (sic) petunt ut obligatio appellandi supprimatur. Non est Ecclesia universa punienda propter abusus alicubi insurgentes. Si tamen Sancta Sedes censet ab huiusmodi norma non est recedendum, concedantur saltem exceptiones. Quapropter proponitur ut in fine § 1 addatur: « nisi in casibus exceptionalibus aliter a Sancta Sede provisum fuerit » (Card. Carter).

3. Episcopi Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis post experientiam undecim annorum, firmiter persuasi sunt appellationem obligatoriam essentialem non esse ad integritatem processus matrimonialis: cooperatio partium, defensoris vinculi et labor iudicum in prima instantia sufficientem praebent securitatem quod certitudo moralis obtineatur et iustitia fiat. Si quidam abusus accidere possent, alia dantur media ad illos corrigendos, quin appellatio obligatoria requiratur.

De cetero, possibilitas decreti ratihabitionis ut simplificatio magna salutatur. Non videtur tamen necessarium quod omnia acta iudicii tribunali appellationis transmittantur; sufficit mittere acta « utilia » (« ceteris iudicii actis utilibus »), acta vero « superflua » secundum iudicium discretionale iudicis et defensoris vinculi non sunt transmittenda.

Requirere insuper tribunal collegiale cum interventu defensoris vinculi ut decretum ratihabitionis dent videtur excessivum (Exc. Bernardin).

4. Contrariam sententiam tenet Card. Bafle, qui proponit ut in fine § 2 addatur: « si vero sententia in primo iudicii gradu prolata fuerit

a iudice unico ad normam can. 1377, § 4, tribunal appellationis semper ad ordinarium examen novi gradus causam committat », intuitu gravitatis materiae.

R. *Coetus consultorum unanimiter censet animadversiones non esse admittendas. Systema propositum non est neque « iuridice absurdum » neque « sanae rationi contrarium » . Potius quam de appellatione (canon non loquitur de appellatione) agitur de ulteriore revisione in re maximi momenti, uti est vinculum sacramentale.*

Alia ex parte exigentiis iam provisum est brevitati modi procedendi in 2° gradu, scil. cum possibilitate decreti confirmatorii.

Propter gravitatem tamen materiae quaestio diiudicanda deferatur Patribus Commissionis in proxima adunatione plenaria.

Ad can. 1636

1. *Ad § 1: Attendere oportet ut transcurrant termini ad appellandum, ut requirebatur in can. 1987 C.I.C. (« ... si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum... decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis ... ») (Card. König).*

R. *Non admittitur. Post duplicem sententiam conformem non datur appellatio (cfr. can. 1596). In can. 1987 C.I.C. aderat appellatio « ex conscientia » quae suppressa est.*

2. *Nova paragraphus adiungatur: « Non admittitur nova causae propositio si pars novum matrimonium canonicum iniverit ». Incongruum esset partes ad novum matrimonium admittere, simul vero viam apertam relinquere novae causae propositionis de prioris matrimonii nullitate (Card. Parecattil).*

R. *Admitti nequit. Agitur de iure naturali et esset contra praescriptum can. 1595.*

3. *Proponitur: « § 1. Postquam sententiam, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, nisi adsit appellatio in secundam instantiam, ii, quorum matrimonium declaratum est nullum, possunt novas nuptias contrahere statim ac sententia ipsis notificata est » (Card. Carter).*

R. *Pendet a decisione Patrum Commissionis ad can. 1634.*

Ad can. 1642

Non excludantur causae matrimoniales ab hac optima procedura quae utiliter applicari potest ad causas de nullitate matrimonii, ita ut istae non amplius formalitatibus processus contentiosi ligentur. Proponitur: « Causae ad matrimonii nullitatem declarandam possunt processu contentioso orali tractari » (Card. Carter).

R. *Propositio admitti nequit. Processus contentiosus oralis non dat satisfactiones (« garanzie »), quae processui matrimoniali propter vinculum sacramentale necessariae sunt.*

Immo, consultores unanimiter, ad praecavendos abusos hac in re, ad can. 1608, addere proponunt § 2 qui ita sonat:

« § 2. Si processus oralis adhibeatur extra casus iure permissos, actus iudiciales sunt nulli ».

Ad can. 1643

1. Iterum affirmatur contrarietas Conferentiae Episcoporum Australiae ut causae matrimoniales inter causas contentiosas adnumerentur (Card. Freeman; Exc. O'Connell).

R. Ad 1: *Cfr. can. 1352, § 1, 1°: « Obiectum iudicii sunt ... vel facta iuridica declaranda » (cfr. quoque can. 1552, § 2 C.I.C.).*

2. Addatur: « Ad amussim servantur *normae* quae a competentibus Dicasteriis Romanis interdum eduntur, utpote e latebunda consultatione ac diuturna experientia exaratae, optime conferunt ad res recte ac expedite dirimendas » — quia « nostris diebus cursitat opinio (saepe dogmatice expressa) has Normas libere interpretari ac iuxta "experientiam pastorem" servari vel seponi posse. De facto consequitur saepe disperditio temporis ac temeritas sententiae » (Card. Cooray).

R. Ad 2: *Inutile et improprium esset.*

Ad can. 1663

Pars huius canonis quae iuris substantivi est, tollatur e iure processuali et, aliis praescriptis adaucta, transferatur vel ad Lib. I, Tit. VI,

cap. II, vel ad Ius matrimoniale, cap. I, vel tamquam §§ 3 et 4 can. 1038 (Card. König).

R. *Cfr. can. 1038, § 2 ubi ius substantivum habetur.*

Ad can. 1667

Addatur: « Sit praeterea sacerdos vel, si de nullitate ordinationis ad diaconatum agatur, saltem diaconus », quia non expedit ut laicus in his causis munere defensoris vinculi fungatur (Card. Bafile).

R. *Non videtur qua de causa, nam dignitas ordinis sacri in discrimen minime ponitur.*

Ad Partem IV

Loco « De processu *criminali* » dicatur « De processu *poenali* », quia non omnia delicta sunt crimina. Crimen est delictum vere grave. Cfr. cann. 1344, 1345, 1348, quorum factispecies nullo modo crimina considerari possunt. Praeterea simplex factum quod clericus quidam obiectum processus *criminalis* fuit, graviter laedit existimationem eius personae, quod semper vitandum est.

Substituatur propterea verbum criminale per verbum *poenale* in sequentibus canonibus: ubi sermo est de « processu *criminali* » (1677, 1678), « de actione *criminali* » (1314, 1676, 1682), « de iudicio *criminali* » (1682, 1685, 1686, 1687), « de causis *criminalibus* » (1377, § 1, n. 2), vel in « *criminalibus* » (1634).

Notandum in fine quod ipsum Schema adiectivum « *poenalis* » sensu supra proposito aliquando adhibet, v.g. de actione « *poenali* » sermo est in can. 1296, n. 3 (Card. Bafile).

R. *Non expedit.*

1. *Nulla datur distinctio in iure canonico inter crimen et delictum.* (cfr. WERNZ-VIDAL, *Ius poenale ecclesiasticum*, ed. altera, Romae 1951, p. 51; ROBERTI F., *De delictis et poenis*, I, ed. altera, Romae s.d., pp. 59 s.; MICHIELS G., *De delictis et poenis*, I, ed. altera, Romae 1961, pp. 59 s.).

2. *Actio poenalis valde differt ab actione criminali* (cfr. cann. 1314 et 1315).

Ceteroquin titulus hic traditionalis in Ecclesia est.

Ad can. 1685

Ex officio: *Supprimitur ultima pars: « neque potest ... criminali proponere » quia oppositio tertii non amplius specificè in Schemate memoratur.*

Ad Partem V: De Procedura Administrativa

Nulla modo expedit ut in Ecclesia mentalitas illa legalistica, ut vocant, qua administratio civilis informatur, introducatur. Clare igitur definiantur natura, finis, spiritus proceduræ administrativæ ecclesiasticæ. Caveatur accurate ne huiusmodi procedura ad vitam Ecclesiæ præpediendam adhiberi possit. In tuto ponatur ius divinum Episcoporum, qui non officiales (« funzionari »), sed veri Pastores sunt quæque « discretionali » gaudeant oportet (Card. Siri).

R. Quæ postulantur iam pluribus in locis huius Schematis inveniuntur. Procedura administrativa iam in usu est (Sectio Altera Signaturæ Apostolicæ), favorabili cum exitu, atque eius introductio in Codicem « Principiis quæ Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant » a Synodo Episcoporum anni 1967 approbata, respondet: (« Proclamari idcirco oportet in iure canonico principium tutelæ iuridicæ æquo modo applicari superioribus et subditis, ita ut quaelibet arbitrariness suspicio in administratione ecclesiastica penitus evanescat. Haec finalitas obtineri solummodo potest mediantibus recursibus sapienter a iure dispositis ut ius suum quod quis ab inferiore instantia laesum reputet, in superiore restaurari efficaciter possit », (Communicationes, 1 [1969] 83).

Quod impedimentum esse possit, ab abusu pendet, non ab ipsa norma. Ius divinum Episcoporum in discrimen minime ponitur, attamen huiusmodi ius iustitia semper innixum esse oportet atque ad iustitiam reddendam promptum.

Ad Partem V: De procedura administrativa

Card. de Araujo Sales novum proponit Schema cann. 1689-1704 quo — iuxta ipsum — tota quaestio simplicior et iustior redditur. En præcipuæ modificationes:

a) Obligatoria redditur « camera conciliationis », quæ spiritui

relationum inter superiores et subditos magis respondet et inutile dispendium temporis praeveniet.

b) Supprimitur « petitio » decreti auctori facienda ad revocationem vel suspensionem ipsius decreti obtinendam, quia inutilis (praesumitur quaestionem ab Episcopo eiusque Consilio mature consideratam esse), invisa (aliquo modo futurum comminat processum), ad meram reducitur formalitas et substantialiter iam continetur in interventu camerae conciliationis.

c) Iudicio Episcoporum Conferentiae relinquitur — ut facit Schema — constitutio tribunalium administrativorum, exigitur tamen explicite ut constitutio fiat ad normam can. 330; superfluae evadunt ulteriores determinationes.

d) Tribunalia huiusmodi tantum vident quaestiones in primo gradu, recursus in secundo vel tertio gradu semper fit ad Signaturam, cui quoque reservantur « impugnationes iuridicae » et quaestio de « damnorum reparatione ».

e) Prohibetur — secus ac in Schemate — transitus in primo gradu ab una ad aliam viam (scil. hierarchicam vel non), quia facile astu, machinationibus et inutilibus moris ansam praebere potest.

f) Breviores statuuntur termini peremptorii.

g) Clarius statuitur quod recursus hierarchicus (melius « via hierarchica ») fit ad Episcopum, si impugnantur decreta auctoritatum Episcopo subordinatarum; ab Episcopo tandem recursus fit ad S. Sedem. Explicite praeterea statuitur quod tribunal administrativum tantum videt de legitimitate decreti, sed non potest in meritum causae ingredi.

h) Quaestiones obscurae dilucidantur, v.gr. recursus in quaestionibus internis religiosorum vel recursus laicorum.

i) Materia denique diverso modo ordinatur, claritatis causa.

En canones propositi:

« Titulus I

DE TRIBUNALIBUS ADMINISTRATIVIS (omittitur: CONSTITUENDIS)

Can. 1689

§ 1. Praeter tribunalia administrativa constituta vel constituenda apud S. Sedis Dicasteria quae ad episcopos, clericos, religiosos vel laicos de res attinentes agunt et apud Tribunal Signaturae Apostolicae, secun-

dum normas a Suprema Auctoritate probatas vel probandas; unaquaque Episcoporum Conferentia, etc.

§ 2. In decernendo de constitutione, numero, competentia et modo agendi suorum tribunalium in proprio territorio, Conferentiae Episcoporum agere debent ad normam can. 330, et omnibus iuris communis de re praescriptis adamussim servatis.

§ 3. Quoad quaestiones internas Religiosorum, Superioribus maioribus ac eorum Conferentiis, si quae sint, congrua congruis referendis, applicentur quae de Episcopis eorumque Conferentiis hac in re determinantur.

Titulus II

DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA

Caput I

Normae communes

Can. 1690

§ 1. Ut in can. 1693, § 1.

§ 2. Ab Episcopo, pro unaquaque Dioecesi, vel consentientibus Episcopis quibus interest pro unaquaque Provincia vel Regione Ecclesiastica, officium quoddam vel consilium, ut camera conciliationis, stabiliter constituatur, cui, secundum normas in constitutione statuendas, munus sit aequas solutiones, de quibus in § 1, quaerere suggerere.

§ 3. Officii, consilii, vel camerae competentis, de qua in § 2, interventus semper sollicitandus est, per scriptum, apud proprium Episcopum, ab eo qui aliquo decreto se gravatum contendit, inter peremptorium terminum quinque dierum utilium ab intimatione decreti; nec ulli alio recursus gressui datur locus, priusquam officium, consilium vel camera conciliationis servitium suum expletum esse authentice declaret ad normam § 1 vel quia spem bono exitus non perspicit.

§ 4. Diligentissime ac expedite conciliatio quaerenda est, eo autem tempore, benevolentiae causa, qui decretum tulit eius executionem suspendat, nisi aliter a iure statuatur, vel salus animarum inde detrimentum notabile capere iudicet.

Can. 1691

§ 1. Aequa solutione non inventa, qui se gravatum iudicat, inter peremptorium terminum quinque dierum utilium a decisione sibi legitime communicata, recursum in primo gradu, via hierarchica vel non hierarchica procedere potest, salvo tamen quod, adversus decreta ab auctoritatibus quae Episcopo subsunt, unus praevius datur recursus ad ipsum Episcopum.

§ 2. Decreto semel in primo gradu introducto, non licet recurrentem ab una ad aliam viam, hierarchica vel non hierarchica, transire.

Caput II

De via hierarchica

Can. 1692

§ 1. Via hierarchica, recursus in 1° gradu proponendus est apud Supremam Ecclesiae Auctoritatem, secundum quae habentur in can. 1689, § 1:

a) adversus decretum ab Episcopo vel ei aequiparato in iure, etiam si mere confirmat decreta ab auctoritatibus quae ei subsunt lata;

b) adversus ea quae lata fuerint ab eis qui ab auctoritate Episcopi exempti sunt;

c) adversus ea decreta quae forte lata sint ab organis nationalibus vel regionalibus Conferentiae Episcopalis, imo, ab ipsa Conferentia.

§ 2. In secundo ac definitivo gradu, via hierarchica, recursus datur ad Signaturam Apostolicam, eodem tempore peremptorio servato.

§ 3. Semper autem licet, utraque parte consentiente, recursum in uno ac definitivo gradu, eodem tempore peremptorio servato, introducere ac definire apud Signaturam Apostolicam.

Can. 1693

Qui recursus via hierarchica videt, licet, prout etc. ut in can. 1701.

Can. 1694

Ut in can. 1700.

Can. 1695

Etiam si ius non determinet quod per recursum eo ipso suspendatur executio, si recurrens id petat et gravis causa suadeat, Superior hierar-

chicus, audito saltem decreti auctore, motivis expressis, decernere potest, ut pendente processu, executio decreti suspensa maneat, cauto tamen ne quis salus animarum detrimentum capiat.

Caput III

De via non hierarchica

Can. 1696

§ 1. Via non hierarchica, ille qui se gravatum contendit aliquo decreto cuiusvis auctoritatis Summi Pontificis inferioris, ad tribunalia administrativa, si quae sint, ad normam can. 1689 a competenti Conferentia Episcoporum vel Religiosorum constituta, in primo gradu recurrere potest.

§ 2. Recursus interponendus est, inter terminum peremptorium quinque dierum utilium a decreto sibi legitime intimato, propter legis violationem in decernendo vel propter motiva non vera in actu administrativo allata; quare tribunal tantum potest decretum, quod illegitimum iudicet, rescindere vel aliter mutare: nunquam autem potest de alicuius doctrinae circa fidem vel mores veritate vel errore iudicare.

Can. 1697

Iudicio adesse semper debet Promotor Iudicii, servato can. 1385; omnes partes ius habent advocatos vel procuratores adhibendi, ad normam can. 1694.

Can. 1698

Recepto recursu, iudex quamprimum sessionem indicat, qua:

- 1) Ut habetur in n. 1) can. 1709;
- 2) De suspendendo decreto impugnato, ad normam can. 1695, vel de confirmanda vel revocanda suspensione de qua in can. 1690, § 4.
- 3) Ut habetur in n. 4) can. 1709.

Can. 1699

Ut habetur in can. 1710.

Can. 1700

Ut habetur in can. 1711, sed post « partes » addatur « etiam per per procuratores ».

Can. 1701

Ut habetur in can. 1712, sed post « partes », in § 1, addatur « saltem per legitimos procuratores », post « partibus » in § 2 addatur « vel Procuratoribus ».

Can. 1702

Ut habetur in can. 1713, sed post « partibus » addatur « vel legitimis procuratoribus »: curetur etiam de recta can. citatione.

Can. 1703

Adversus huius tribunalis administrativi sententias definitivas aliasve decisiones, quae iudicio in primo gradu finem ponunt, tum impugnationes tum appellatio, tum actio de damnorum reparatione dantur unice ad Supremae Tribunal Signaturae Apostolicae, intra peremptorium terminum quindecim dierum utilium a sententia partibus notificata ad normam can. 1702, § 3.

Can. 1704

§ 1. In ceteris quae ad rationem procedendi attinet, applicandae sunt, nisi rei natura obstet, tum normae ipsius Conferentiae Episcopalis vel Religiosorum competentis, tum praescripta de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario in iure expressa, servatis specialibus normis de causis ab bonum publicum spectantibus.

§ 2. Ut habetur in can. 1715, § 2 ».

R. Schema a Card. Araujo de Sales praesentatum accipi nequit, eo quod Schema Commissionis collegialiter cum participatione consultorum ex diversis Nationibus provenientium aliorumque legatorum ex Conferentiis Episcoporum Germaniae et Americae Septentrionalis confectum amplae consultationi omnium Episcoporum aliorumque Organorum iam subiectum suo tempore fuit et iuxta animadversiones recognitum.

Aliquo modo ergo huiusmodi consultationi vinculatum manet et non potest — uno tantum proponente — derelinqui.

Coetus consultorum nihilominus praecipuas innovationes supra relatas attente examinavit et decrevit eas non esse admittendas.

Ad a: Non potest « camera conciliationis » neque recursus ad eam imponi. Esset enim certo quodammodo laesivum iuris illius qui recursum hierarchicum praefert vel ad tribunal administrativum, si adsit, adire vult.

Ad b: Negatur suppositum, nam si praesumeretur rem iam attente consideratam esse, fere locus non aderit ipsae camerae conciliationis neque recursui administrativo. « Petitio » eo tendit ut reconsideratur decretum et si possibile est recursus vitetur.

Ad c: Mentio can. 330 inutilis est, nam valet per se de omnibus decretis Conferentiarum Episcoporum, etsi non dicatur.

Ad d: Non videtur qua de causa haec omnia exclusive Signaturae Apostolicae reservari. Difficilior sine causa redditur iustitia administrativa et onus haud necessarium imponitur Signaturae Apostolicae.

Ad e: Non videtur opportunum libertatem partium ita restringere. In can. 1697 expresse statuitur quod « transitus » fit, consentientibus et decreti auctore et recurrente.

Transitus praeterea potest ipsi administrationi iustitiae aut saltem eius expeditiori solutioni favere.

Ad f: Non est necessarium (cfr. can. 1715 § 2).

Ad g: Iam provisum in canonibus. Animadvertendum est quod in can. 1689 § 1 supprimitur clausula « vel ab inferioribus auctoritatibus » (cfr. can. 1704 § 1).

Ad h: Nullo modo admitti possunt tribunalia administrativa a Conferentiis Religiosorum constituta. Conferentia Religiosorum toto coelo differt a Conferentia Episcoporum, nec ullam habet potestatem in singula Instituta. Quaestiones internae administrativae religiosorum solvuntur iuxta ius proprium, patente semper recursu ad S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus ac deinde ad Signaturam Apostolicam.

Ad can. 1689

1. Reddatur obligatoria, non facultativa, constitutio tribunalium administrativorum in ambitu Conferentiae Episcoporum, ut erat in can. 19 praecedentis Schematis (Cardd. König, Marty et Exc. Bernardin).

R. Etsi valde optandum est ut tribunalia administrativa regulariter apud Episcoporum Conferentias constituentur, ad iura subiectiva tuenda

et iustitiam administrativam melius ordinandam, non videtur tamen opportunum tale onus lege universali imponere. Etenim, si iam plures habentur difficultates ad tribunalia ordinaria constituenda, eo quod doctores vel licentiati in iure canonico qui ius bene calleant desunt, multo magis ad efformanda tribunalia administrativa, quibus difficile et momentosum munus assignatur, pro quo indubie eximia cognitio legum et iuris requiritur. Agitur praeterea de haud parva innovatione in iure Ecclesiae, ideoque expedit ut pedetemptim et aliquo modo voluntarie, iuxta cuiusque possibilitates et vires fiat. Ceteroquin semper patet recursus hierarchicus cum possibilitate in ultimo gressu Signaturam Apostolicam adeundi.

Res tamen deferatur Plenaria huius Commissionis.

2. Ex officio: *Supprimitur clausula « vel ab inferioribus auctoritatibus » ne contradictio habeatur cum can. 1704, § 1.*

Ad can. 1690, § 2

Sequens proponitur textus ex can. 20 praecedentis Schematis desumptus:

« adversus duplicem sententiam conformem non datur appellatio ad Signaturam Apostolicam, salvo iure petendi restitutionem in integrum ad normam cann. 1597-1600 » (Exc. Bernardin).

R. *Non necessarium. Huiusmodi praescriptum iam continetur in can. 1714 (« ad normam iuris »)* (cfr. quoque can. 1715).

Ad can. 1691

Proponitur: « Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae videt, ad normam can. 1397 § 3, de recursibus adversus decreta lata vel adprobata a Sanctae Sedis Dicasteriis et de appellationibus adversus sententias latas a tribunalibus administrativis primi vel secundi gradus, servatis tamen praescriptis can. 1690 § 2 ». Cfr. suggestionem ad can. 1397 § 3 (Card. Bafle).

R. *Propositio non admittitur* (cfr. resp. ad can. 1397).

Attamen, ut clare pateat recursus in ambitu administrativo fieri posse a decreto ab Episcoporum Conferentiis et conciliis particularibus

latis ad Signaturam Apostolicam, reassumitur partim can. 12 praecedentis schematis (can. 21 schematis a. 1972 typis impressi).

« Can. 1691. *Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae videt:*

1) *in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a Conferentiis Episcoporum, a Conciliis particularibus et a Sanctae Sedis Dicasteriis.*

2) *ut iacet ».*

Ad can. 1692

1. *Iudices sint tantum Episcopi (Card. Siri).*

2. *Non exigatur ut iudices semper sint sacerdotes; admittantur etiam diaconi, immo et aliquando, de licentia Episcoporum Conferentiae, ut coniudices in tribunali collegiali admittantur quoque laici. Permittatur etiam ut promotores iustitiae sint « sive clerici sive laici » (Exc. Bernardin).*

R. *Ad 1. Non videtur necessarium.*

Ad 2. Dedecet. Agitur enim de iudicandis actibus potestatis executive Episcoporum. Hoc revera esset contra indubitata « canonicam traditionem ».

Ad can. 1693

Ad § 1: Dicatur « ita ut per idoneam viam controversia vitetur vel dirimatur », quia textus Schematis supponere videtur quod semper decretum impugnatum sit plus minusve iniustum, quod verum non est.

Ad § 2: Supprimatur, utpote quae libertatem Episcopi nimis coarctat, nam ipsum moraliter impellit ad consilium de quo agitur constituendum.

Ad § 3: Prima pars supprimatur (« Officium ... sint elapsi »). (Card. Bafile).

R. *Ad § 1: Admittitur.*

Ad § 2: Negatur illam restrictionem adesse. Nam ius universale Conferentiis Episcoporum iudicium de opportunitate tale « Officium conciliationis » constituendi remittit, quod opportunum est, ut quaedam habeatur uniformitas in regione.

Ad § 3: *Supprimi, nequit, quia melius determinat munus et competentiam « Officii conciliationis ».*

Ad can. 1694, § 3, 2

Supprimitur clausula « vel ad tribunal administrativum dioecesanum » quia contradicit praescriptum can. 1704 in quo statuitur quod adversus decreta ab auctoritatibus, quae Episcopo subsunt, *unus datur recursus ad Episcopum* », scil. recursus hierarchicus.

Ad can. 1699, § 1

Explicite dicatur quis sit superior hierarchicus relate ad Episcopum (Card. Bafle et O'Fiaich). Card. Bafle sequens proponit textum: « Superior hierarchicus relate ad Episcopum est Dicasterium Apostolicae Sedis, competens ratione materiae ».

R. Non videtur necessarium, saltem hoc in loco. Ceteroquin clare eruitur ex Libro II.

Ad can. 1703, § 1

Post verbum « alicuius » inseratur: « iniuste et non ex sola excusabili inadvertentia », quia laesio iurium alicuius personae non semper imputabilis videtur officio eius qui decretum tulit vel mutavit (Card. Bafle).

R. Admitti nequit, quia hic non fit quaestio de dolo aut culpa. Sufficit quod actus sit illegitimus.

Ad can. 1705

Proponitur ut denuo inseratur can. 22, § 2 praecedentis Schematis: « Si difficile sit tribunal collegiale semper paratum habere, Episcoporum Conferentia potest statuere ut omnia vel nonnulla iudicia primi gradus ad iudicem unicum deferantur; quod si qua pars renuat, iudicium ex officio ad tribunal collegiale deferatur » (Exc. Bernardin).

R. *Non expedit. Agitur de re magni momenti, de iudicandis scil. decretis ab ipso Episcopo latis vel ab eo confirmatis, atque necesse est ut satisfactio saltem collegialitatis tribunalis habeatur. Prae oculis habeatur praeterea quod constitutio tribunalium non est obligatoria* (can. 1689).

Ad can. 1712

1. Termini prorogentur, quia nimis breves sunt. Saepe in his processibus iudices, promotores iustitiae, advocati et forsitan ipsi recurrentes erunt sacerdotes curam animarum habentes et ideo haud facile erit ut ipsi simul eodem die a suis paroeciis abesse possint (Card. O'Fiaich).

R. *Sufficienter provisum in ipso canone, nam termini prorogari possunt* (cfr. etiam can. 1715 § 2).

2. Ad § 2: Post « probationes » inseratur, servato praescripto can. 1550 § 1, « quia, si casus ferat, peculiares cautelae, de quibus in can. 1550 § 1, adhibendae erunt » (Card. Bafle).

R. *Provisum in can. 1715 § 1.*

Ad can. 1713

1. Termini prorogentur, propter rationes supra allatas (Card. O'Fiaich).

2. Ad § 1: Dicatur « causa intra quinque dies a sessione de qua in can. 1712 decidatur et dispositiva sententiae pars in cancellaria deponatur ut de ea partes notitiam sibi comparare possint », quia festinatio nullo modo ad perfectionem operis confert. Verum est quod in processu contentioso orali « iudex illico, expleta audientia, causam seorsum decidat; dispositiva sententiae pars statim coram partibus praesentibus legatur » (can. 162 § 1), sed parti conceditur facultas processum contentiosum ordinarium petendi (can. 1608) quod non datur in processu administrativo. Consequenter § 2 supprimatur (Card. Bafle).

R. *Non admittitur, nam sufficienter providetur in § 2.*

In hac materia, quae munera socialia respicit, celeritas quaedam est necessaria.

Ad can. 1715, § 2

Supprimatur, quia possibilitas derogandi normis processualibus amore celeritatis ad seriam administrationem iustitiae conferre non videtur (Card. Bafile).

R. Non admittitur propter rationes supra allatas, praeterea quaedam discretionalitas concedenda est, eo magis quod non agitur de normis ad validitatem.

Ad can. 1716 ss.

Satisfactiones his canonibus contentae, in ordine ad iura parochorum melius tuenda, extendantur ad alios ministros ordinatos, immo et constitutos. Hoc postulat ipsa iustitia et defensio iurium fundamentalium (Card. Marty).

R. Procedura haec specificè ad parochos tantum propter momentum singulare huius officii restringitur. Non potest ideo indiscriminatim extendi. Pro ceteris datur communis procedura administrativa (cfr. etiam can. 190).

Ad can. 1717

Inter causas addatur: « 6) pertinax recusatio adimplendi obligationem proprio Episcopo exhibendi renuntiationem ab officio de qua in can. 477, § 3 », ut iuridice detur Episcopo possibilitas removendi parochum qui praescriptum can. 477, § 3 non adimplet (Cardd. Hume, Freeman et Ratzinger; Exc. O'Connell).

R. Animadversio admitti nequit, etiam quia can. 477, § 3 immutatus est eo sensu quod parochus, expleto septuagesimo quinto aetatis anno, non amplius obligetur ad renuntiationem ab officio exhibendam, sed tantum, congruenter cum praescriptis CD 31 et ES I, 22, § 3, rogetur ut illam exhibeat.

Ad can. 1721, n. 1

Post « inspectis actis », addatur: « ad normam can. 1550, § 1 », quia cautelae necessariae esse possunt de quibus in can. 1550, § 1 (Card. Bafile).

R. Admitti nequit: agitur de iure defensionis.

Ad can. 1722

Addatur: « aequitate canonica et naturali semper servata », ut explicitè indicavit Conc. Vat. II, cum faciliorem reddit amotionem parochorum. Etsi hoc subintelligi potest, eo quod aequitas ad principia fundamentalia iuris canonici pertinet, melius tamen est ut expresse dicatur (Card. König).

R. *Haec clausula in CD 31 ad totum modum procedendi in amotione parochorum refertur non ad assignationem alius officii aut pensionis.*

Procedura haec praeterea sufficienter considerat et includit exigentias aequitatis naturalis et canonicae. Quidquid sit tamen non expedit ut expresse dicatur, quia agitur de principio fundamentalis iuris canonici, secus videretur quod tantummodo applicatur si expresse requiritur.

APPENDIX

CANONES « LEGIS ECCLESIAE FUNDAMENTALIS » QUI IN CODICEM IURIS
CANONICI INSERENDI SUNT, SI IPSA « LEX ECCLESIAE FUNDAMEN-
TALI » NON PROMULGABITUR.

Can. 5 (loco can. 96 Schematis C.I.C., qui fit 96 bis)

Baptismo homo Ecclesiae Christi incorporatur et in eadem constituitur persona, cum officiis et iuribus quae christianis, attenta quidem eorum conditione, sunt propria, quatenus in ecclesiastica sunt communionem et nisi obstet lata legitime sanctio.

Can. 6 (can. 201 bis Schematis C.I.C.)

Plene in communionem Ecclesiae catholicae his in terris sunt illi baptizati qui in eius compage visibili, cum Christo iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis.

Can. 8, §§ 2-3 (can. 201 ter Schematis C.I.C.)

§ 1. Speciali ratione cum Ecclesia conectuntur catechumeni, qui nempe, Spiritu Sancto movente, explicita voluntate ut eidem incorporarentur expetunt, ideoque hoc ipso voto, sicut et vita fidei, spei et caritatis quam agant, coniunguntur cum Ecclesia, quae eos iam ut suos fovet.

§ 2. Catechumenorum specialem curam habet Ecclesiae atque, dum eos ad vitam ducendam evangelicam invitat eosque ad sacros ritus celebrandos introducit, eisdem varias iam largitur praerogativas quae christianorum sunt propria.

Art. 2 Capitis I (« *De christifidelium officiis et iuribus fundamentalibus: cann. 9-24*) inserendus in Librum II « *De Populo Dei* », tamquam Titulus I (« *De omnium christifidelium obligationibus et iuribus* »):

Can. 9

Inter christifideles omnes, ex eorum quidem in Christo regeneratione, vera viget quoad dignitatem et actionem aequalitas, qua cuncti, secundum propriam cuiusque condicionem et munus, ad aedificationem Corporis Christi cooperantur.

Can. 10

Omnes christifideles ad sanctam, secundum propriam condicionem, vitam ducendam atque ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem promovenda vires suas conferre debent.

Can. 11

Omnes christifideles officium habent et ius adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis magisque perveniat.

Can. 12

§ 1. Quae sacri Pastores, utpote Christum repraesentantes, tamquam fidei magistri declarant aut tamquam Ecclesiae rectores statuunt, christifideles, propriae responsabilitatis conscii, christiana oboedientia sectari tenentur.

§ 2. Christifidelibus integrum est ut necessitates suas, praesertim spirituales, et optata sua Ecclesiae Pastoribus patefaciant.

§ 3. Pro scientia, competentia et praestantia quibus pollent, ipsis ius est, immo et aliquando officium, ut sententiam suam de his quae ad bonum Ecclesiae pertinent sacris Pastoribus manifestent atque, salva fidei morumque integritate attentisque communi utilitate et personarum dignitate, christifidelibus notam faciant.

Can. 13

Ius est christifidelibus ut ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et sacramentorum, adiumenta a sacris Pastoribus accipiant.

Can. 14

Ius est christifidelibus ut cultum Deo persolvant iuxta praescripta proprii ritus a legitimis Ecclesiae Pastoribus adprobati, utque propriam vitae spiritualis formam sequantur, doctrinae quidem Ecclesiae consentaneam.

Can. 15

Integrum est christifidelibus ut libere condant atque moderentur con-sociationes ad fines caritatis vel pietatis, quorum prosecutio non uni Ecclesiae auctoritati natura sua reservatur, vel ad vocationem christia-nam in mundo fovendam, utque conventus habeant ad eosdem fines in communi persequendos.

Can. 16

Christifideles cuncti, quippe qui in Ecclesiae missione participant, ius habent ut propriis etiam inceptis, unusquisque secundum proprium statum et propriam condicionem, apostolicam actionem promoveant vel sustineant; nullum tamen inceptum nomen catholicum sibi vindicet, nisi consensus accesserit competentis auctoritatis ecclesiasticae.

Can. 17

§ 1. Christifideles, quippe qui baptismo ad vitam doctrinae evange-licae congruentem ducendam vocentur, ius habent ad educationem chri-stianam, qua ad maturitatem humanae personae prosequendam atque simul ad mysterium salutis cognoscendum et vivendum rite instruantur.

§ 2. Parentes, cum vitam filiis contulerint, gravissima obligatione tenentur et iure gaudent eos educandi; ideo parentum christianorum im-primis est christianam filiorum educationem secundum doctrinam ab Ecclesia traditam curare.

Can. 18

Qui disciplinis sacris incumbunt iusta libertate fruuntur inquirendi necnon mentem suam prudenter aperiendi in iis in quibus peritia gaudent, servato debito erga Ecclesiae magisterium obsequio.

Can. 19

Christifideles omnes iure gaudent ut a quacumque coactione sint immunes in statu vitae eligendo.

Can. 20

Nemini licet bonam famam qua quis gaudet illegitime laedere.

Can. 21

Christifidelibus ius est ne poenis canonicis nisi ad normam legis plectantur.

Can. 22

§ 1. Christifidelibus competit ut iura quibus in Ecclesia gaudent legitime vindicent atque defendant in foro competenti ecclesiastico ad normam iuris.

§ 2. Christifidelibus ius est quoque ut, si ad iudicium ab auctoritate competenti vocentur, iudicentur servatis iuris praescriptis, cum aequitate applicandis.

Can. 23

Christifideles obligatione tenentur necessitatibus subveniendi Ecclesiae, ut eidem praesto sint quae ad cultum divinum, ad opera apostolica et caritatis et ad honestam ministrorum sustentationem necessaria sunt.

Can. 24

§ 1. In iuribus suis exercendis christifideles tum singuli tum in consociationibus adunati rationem habere debent boni communis Ecclesiae necnon iurium aliorum atque suorum erga alios officiorum.

§ 2. Ecclesiasticae auctoritati competit intuitu boni communis exercitium iurium quae christifidelibus sunt propria moderari vel legibus irritantibus et inhabilitantibus restringere.

Art. 1 Capituli II (« De Summo Pontifice deque Collegio Episcoporum ») fit Caput I, Sectionis I, Partis II, Libri II cum duobus Articulis:

Art. 1. De Summo Pontifice

Can. 29, §§ 2-3 (can. 277 Schematis C.I.C.)

§ 1. Ecclesiae Romanae Episcopus, in quo permanet munus a Domino singulariter Petro, primo Apostolorum, concessum et successoribus eius transmittendum, Collegii Episcoporum est Caput, Vicarius Christi atque universae Ecclesiae his in terris Pastor; qui ideo vi muneris sui suprema, plena, immediata et universali in Ecclesia gaudet ordinaria potestate, quam semper libere exercere valet.

§ 2. Una cum Romano Pontifice ceteri Episcopi, in quibus nempe omnibus perseverat munus pascendi Ecclesiam omnibus Apostolis concessum et successoribus eorum transmittendum, Corpus constituunt seu Collegium Episcoporum, cuius Caput est Summus Pontifex et cuius membra sunt Episcopi vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite et membris; quod Collegium Episcoporum, in quo Corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque supremae et plenae potestatis in universam Ecclesiam existit, quae quidem potestas nonnisi consentiente Romano Pontifice exerceri potest.

Can. 30 (can. 277 bis Schematis C.I.C.)

§ 1. Plenam et supremam in Ecclesia potestatem Romanus Pontifex obtinet legitima electione ab ipso acceptata una cum episcopali consecratione. Quare, eandem potestatem obtinet a momento acceptionis electus ad Summum Pontificatum qui episcopali caractere insignitus est. Quodsi caractere episcopali electus careat statim ordinetur Episcopus.

§ 2. Si contingat ut Romanus Pontifex muneri suo renuntiet, ad validitatem requiritur ut renuntiatio libere fiat et rite manifestetur, non vero ut a quopiam acceptetur.

Can. 31 (can. 277 ter Schematis C.I.C.)

§ 1. Romanus Pontifex, vi sui muneris, non modo in universam Ecclesiam potestate gaudet, sed et super omnes Ecclesias particulares earumque coetus ordinariae potestatis obtinet principatum, quo quidem insimul roboratur atque vindicatur potestas propria, ordinaria et immediata qua in Ecclesias particulares suae curae commissas Episcopi pollent.

§ 2. Romanus Pontifex in munere supremi Ecclesiae Pastoris explendo, communionem cum ceteris Episcopis immo et universa Ecclesia semper est coniunctus; ipsi ius tamen est, iuxta Ecclesiae necessitates, determinare modum, sive personalem sive collegialem, huius muneris exercendi.

§ 3. A sententia Romani Pontificis non datur appellatio.

Can. 32 (can. 277 quater Schematis C.I.C.)

In eius munere exercendo, Romano Pontifici praesto sunt Episcopi, qui auxilio ei esse valent variis rationibus, inter quas est Synodus Episcoporum. Auxilio praeterea ei sunt Patres Cardinales, necnon aliae personae itemque varia secundum temporum necessitates instituta; quae personae omnes et instituta, nomine et auctoritate Ipsius, munus sibi commissum explent, in bonum omnium Ecclesiarum, iuxta normas iure definitas.

Can. 33 (can. 277 quinquies Schematis C.I.C.)

Sede romana vacante aut prorsus impedita, supremi Pastoris muneris exercitium suspenditur et nihil innovetur in Ecclesiae universae regimine; servantur autem leges speciales pro iisdem adiunctis iam latae.

Art. 2. De Collegio Episcoporum

Can. 35 (can. 277 sexties Schematis C.I.C.)

§ 1. Potestatem in universam Ecclesiam Collegium Episcoporum sollemni modo exercet in Concilio oecumenico.

§ 2. Eandem potestatem exercet per unitatem Episcoporum in mundo dispersorum actionem, quae uti talis a Romano Pontifice sit indicta aut libere recepta, ita ut verus actus collegialis efficiatur.

§ 3. Romani Pontificis est secundum necessitates Ecclesiae seligere et promovere modos quibus Episcoporum Collegium munus suum quoad universam Ecclesiam collegialiter exerceat.

Can. 36 (can. 277 septies Schematis C.I.C.)

§ 1. Unius Romani Pontificis est Concilium oecumenicum convocare, eidem per se vel per alios praesidere, item Concilium transferre, suspendere vel dissolvere, eiusque decreta approbare.

§ 2. Eiusdem Romani Pontificis est res in Concilio tractandas determinare atque ordinem in Concilio servandum constituere; propositis a Romano Pontifice quaestionibus Patres Concilii alias addere possunt, ab eodem Romano Pontifice probandas.

Can. 37 (can. 277 octies Schematis C.I.C.)

§ 1. Ius est et officium omnibus et solis Episcopis qui membra sint Collegii Episcoporum, ut Concilio oecumenico cum suffragio deliberativo intersint.

§ 2. Ad Concilium oecumenicum insuper alii aliqui, qui episcopali dignitate non sint insigniti, vocari possunt a Suprema Ecclesiae auctoritate, cuius est eorum partes in Concilio determinare.

Can. 38 (can. 277 nonies Schematis C.I.C.)

Si contingat Apostolicam Sedem durante Concilii celebratione vacare, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Summus Pontifex illud continuari iusserit aut dissolverit.

Can. 39 (can. 277 decies Schematis C.I.C.)

§ 1. Concilii oecumenici decreta vim obligandi non habent nisi quae, una cum Concilii Patribus, a Romano Pontifice approbata, ab eodem fuerint confirmata et eius iussu promulgata.

§ 2. Eadem confirmatione et promulgatione, vim obligandi ut habeant, egent decreta quae ferat Collegium Episcoporum cum actionem proprie collegialem ponat iuxta alium a Romano Pontifice indictum vel libere receptum modum.

Liber III: « De Ecclesiae munere docendi »

Can. 57 (loco can. 706 Schematis C.I.C.)

§ 1. Ecclesiae, cui Christus Dominus fidei depositum concredidit ut ipsa, Spiritu Sancto assistente, veritatem revelatam sancte custodiret, intimius perscrutaretur, fideliter annuntiaret atque exponeret, officium est et ius nativum, etiam mediis communicationis socialis sibi propriis adhibitis, a qualibet humana potestate independens, omnibus gentibus Evangelium praedicandi.

§ 2. Ecclesiae competit semper et ubique principia moralia etiam de ordine sociali annuntiare, necnon iudicium ferre de quibuslibet rebus humanis, quatenus personae humanae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant.

Can. 58 (can. 707 bis Schematis C.I.C.)

§ 1. Infallibilitate in magisterio, vi muneris sui gaudet Summus Pontifex quando ut supremus omnium christifidelium Pastor et Doctor, cuius est fratres suos in fide confirmare, doctrinam de fide vel de moribus uti divinitus revelatam, credendam definitivo actu proclamat.

§ 2. Infallibilitate in magisterio pollet quoque Collegium Episcoporum: illud infallibile magisterium exercent Episcopi in Concilio oecumenico coadunati quando, ut fidei et morum doctores et iudices, pro universa Ecclesia doctrinam de fide vel de moribus uti divinitus revelatam definitive tenendam declarant; illud exercent quoque per orbem dispersi, communionis nexum inter se et cum Petri successore servantes, quando una cum eodem Romano Pontifice authentice res fidei vel morum docentes, in unam sententiam tamquam definitive tenendam conveniunt; quo quidem ultimo in casu de Episcoporum in docendo consensione, authentica Romani Pontificis declaratione constare debet.

§ 3. Infallibiliter definitiva nulla intellegitur doctrina nisi id manifeste constiterit.

Can. 59 (can. 707 ter Schematis C.I.C.)

Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet fidei deposito Ecclesiae commisso, continentur, et insimul ut divinitus revelata proponuntur, sive ab Ecclesiae magisterio sollemni, sive ab eius magisterio ordinario et universali, quod scilicet communi christifidelium sub ductu sacri magisterii adhaesione manifestatur.

Can. 60 (can. 707 quater Schematis C.I.C.)

Non quidem fidei assensus, religiosum tamen obsequium praestandum est doctrinae, quam sive Summus Pontifex sive Collegium Episcoporum de fide vel de moribus enuntiat, cum magisterium authenticum exercent, etsi definitivo actu eandem proclamare non intendant.

Can. 61 (can. 707 quinquies Schematis C.I.C.)

Episcopi, qui sunt in communione cum Collegii Capite et membris, sive singuli sive in Conferentiis Episcoporum aut in Conciliis particularibus congregati, licet infallibilitate in docendo non polleant, christifidelium suae curae commissorum authentici sunt fidei doctores et magistri; cui authentico magisterio suorum Episcoporum christifideles religioso animi obsequio adhaerere tenentur.

Liber IV: « De Ecclesiae munere sanctificandi »

Can. 67 (can. 789 bis Schematis C.I.C.)

§ 1. Munus sanctificandi exercent imprimis Episcopi qui sunt magni sacerdotes, mysteriorum Dei praecipui dispensatores, atque totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, promotores atque custodes.

§ 2. Illud quoque exercent Presbyteri, qui nempe, et ipsi Christi

sacerdotii participes, ut Eius ministri sub Episcopi auctoritate, ad cultum divinum celebrandum et populum sanctificandum consecrantur.

§ 3. Diaconi in divino cultu celebrando partem habent, ad normam iuris praescriptorum.

§ 4. In munere sanctificandi propriam sibi partem habent ceteri quoque christifideles, praeprimis ii qui ministeria receperunt, active in liturgicis celebrationibus, in Eucharistica praesertim, suo modo participando.

Ex officio: Addatur: *peculiari enim modo idem munus participant parentes vitam coniugalem spiritu christiano ducendo et educationem christianam filiorum procurando.*

Can 68, § 2 (can 798 bis Schematis C.I.C.)

Cum sacramenta, eadem quidem pro universa Ecclesia, ad divinum depositum pertineant et ad vinculum communionis inter christifideles stabiliendum firmandumque magnopere conferant, unius Supremae Ecclesiae auctoritatis est probare vel definire quae ad eorum validitatem sunt requisita, atque eiusdem aliisque auctoritatis competentis, ad normam can. 792, §§ 3 et 4, est decernere quae ad eorum celebrationem, administrationem et receptionem licitam necnon ad ordinem in eorum celebratione servandum spectant.

Can. 69 (can. 793, § 1 Schematis C.I.C.; can. 793 Schematis fit § 2).

§ 1. Aliis quoque mediis munus sanctificationis peragit Ecclesia, orationibus scilicet, quibus Deum deprecatur ut christifideles sanctificati sint in veritate, paenitentiae necnon caritatis operibus, quae quidem magnopere ad regnum Christi in animis radicandum et roborandum adiuvant et ad mundi salutem conferunt.

Can. 70 (loco can. 1137 Schematis C.I.C.)

Ad sanctificationem populi Dei fovendam, Ecclesia peculiari et filiali christifidelium venerationi commendat Beatam Mariam semper Virginem, Dei Matrem, quam Christus hominum omnium Matrem constituit, atque verum et authenticum promovet cultum aliorum Sanctorum, quorum quidem exemplo christifideles aedificantur et intercessione sustentantur.

INDEX

PRAENOTANDA	5- 10
ANIMADVERSIONES GENERALES	11- 16
LIBER I - DE NORMIS GENERALIBUS (cann. 1-200)	17- 46
LIBER II - DE POPULO DEI (cann. 201-705)	47-165
Animadversiones generales	47- 49
Pars I - De Christifidelibus (cann. 201-276)	49- 75
Pars II - De Ecclesiae constitutione hierarchica (cann. 277-502)	75-132
Sectio I - De Suprema Ecclesiae Auctoritate eiusque exercitio (cann. 277-305)	75- 84
Sectio II - De Ecclesiis particularibus deque earundem Coetibus (cann. 306-502)	84-132
Pars III - De consociationibus in Ecclesia (cann. 503-705)	132-165
Animadversiones generales	132-133
Sectio I - De Institutis vitae consecratae (cann. 503-656)	133-157
Sectio II - De Societatibus vitae apostolicae (cann. 657-672)	157-158
Sectio III - De aliis Christifidelium consociationibus (cann. 673-705)	158-165
LIBER III - DE ECCLESIAE MUNERE DOCENDI (cann. 706-788)	166-188
LIBER IV - DE ECCLESIAE MUNERE SANCTIFICANDI (cann. 789-1204)	189-279
Animadversiones generales	189-190
Pars I - De Sacramentis (cann. 794-1119)	190-267
Tit. I - De Baptismo (cann. 802-832)	196-204
Tit. II - De sacramento confirmationis (cann. 833-850)	205-209
Tit. III - De sanctissima Eucharistia (cann. 851-912)	209-223
Tit. IV - De sacramento Paenitentiae (cann. 913-951)	223-235
Tit. V - De sacramento Unctionis infirmorum (cann. 952-960)	235-238
Tit. VI - De sacramento Ordinis (cann. 961-1007)	239-241
Tit. VII - De Matrimonio (cann. 1008-1119)	242-267
Pars II - De ceteris actibus cultus divini (cann. 1120-1155)	267-272
Pars III - De locis et temporibus sacris (cann. 1156-1204)	272-279
LIBER V - DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS (cann. 1205-1262)	280-290
LIBER VI - DE SANCTIONIBUS IN ECCLESIA (cann. 1263-1351)	291-305
LIBER VII - DE PROCESSIBUS (can. 1352-1728)	306-347
Pars I - De iudiciis in genere (cann. 1352-1452)	306-316
Pars II - De iudicio contentioso (cann. 1453-1622)	316-328
Pars III - De quibusdam processibus specialibus (cann. 1623-1672)	327-333
Pars IV - De processu criminali (cann. 1673-1687)	333-334
Pars V - De procedura administrativa (cann. 1688-1728)	334-347
APPENDIX: Canones Legis Ecclesiae Fundamentalis in C.I.C. inserendi	349-358

